


51

G. a. 7.

B-



*Dicitur Augustinus de Sacramentis*  
ASSERTIONES R. YO. 48


# THEOLOGICAE,

De augustinissimo

## EUCHARISTIAE SACRAMENTO,


QVIBVS REFELLVNTVR, QVÆCVNQVE FERE  
nostræ tempestatis Sectarij, contra veram & realem  
præsentiam Christi in Eucharistia, & Transubstantia-  
tionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem eius-  
dem, prodigiose commenti sunt:

*Ab EMANVELE VEGA, in Academia Vilnenſi,  
Societatis Iesu, Theologiae Professore, proposita.*



ANTVERPIAE,  
Ex officina Christophori Plantini,

M. D. LXXXVI.  
CVM PRIVILEGIO.



T Y P O G R A P H V S  
C A N D I D O A C P I O  
L E C T O R I S . P .

**V**M R. D. e Antonius Possevius has Theologicas de augustissimo Eucharistia Sacramento Assertiones (quas tibi nostris typis impressas damus) ad illust. & ampliss. virum D. Christophorū ab Assonlevilla Regie Cathol. Ma<sup>ri</sup>a à Consilis Primarium, nuper Vilna missor, is profici in omnes innotata humanitate, atque adeo pro eo quo erga Christianam Rēpub. semper fuit affectus animo, easdem liberaliter nobisēum communicauit, excidendisque tradidit: eo potissimum non ine, quod (perleclis non sine admiratione iis qua eruditè in medium producuntur argumentis) multi non insini ordinis viri, iij, pīj ac doctissimi, praelato eloq̄ huīus operis auctōrem predicarent, dignissimumq; librum hunc qui omnīum ēb oculos versaretur iudicarent. Huic itaque iudicio acquiescens, quod mei erat officiū, statim p̄ficit, prelōque subieci: Deum Opt. Max. rogans, ita labores constātūque nostros sēp̄ dirigat, vt Reipub. Christianae viles esse queant; omnīumque animos Spīritu suo sancto ita illustrēt, vt tandem (compositis quibuscumque discedis, errorīumque tenebris Di- tina lucis virtute discisis) sub uno summōque Pastore vnam in ouile conueniamus: atque post huīus vite pīe transacte currículum, stabilem eternāmque consequamur hereditatem. Vale. Antuerpiae ex Typographia nostra, Idibus Octob. M. D. lxxxv.

P R A E F A T I O , 3

Qua status Controversiæ aperitur.



ERAM esse illam Clementis Alexandri- ni sententiam, quod inuita sit veritas, falsæ autem opinione nullo negotio dissol- uantur, vel vñica Sacramentariorum vox locupletissimè comprobat. Qui cūm fabu- losas suas, easque penè innumerās, de sen- su verborum cœnæ Dominice, sententias, ceu fluctus quo- dam, ad vnam illam simplicem, naturalem, & indubitatam verborum Christi intelligentiam, tanquam ad scopulum alidi, in varias differti partes, ac tandem sua sponte concidere, paulatimque evanescere animaduerterent: praelarum illud tandem elogium, vereque desperato eorum animo dignum pro- tulerunt (quo dum suam peculiarem fidem astruere vellent, omnem sustulerunt fidem) Liberum esse de verbis cœnæ Domini (ac proinde, de toto eo mysterio) prout cuique visum fuerit, statuere, cūm eam rem ad fidem ne mi- nimū quidem pertinere constet. Porrò quis, nisi qui fidem de medio sublatam velit, ad fidei suprema mysteria per- tinere negauerit: An in Eucharistia vulgaris solum panis, aut nihil omnino substantia panis, sed solus Christus, sub spe- ciebus contineatur? An corpus Christi, siue presens reuerā adsit sub speciebus, siue non, verē tamen, & realiter come- datur, an spiritualiter tantum? An panis in Christi corpus

A 2 muta-

Melancthon in  
Iudicio suo de  
Cena, ad Palat.  
Rheni.

Zwinglius cap. de  
Eucharistia.  
Lutherus in Con-  
fessione de Eu-  
charistia, citat  
alios compl. ares.

<sup>4</sup>  
mutatio, quam Transubstantiationem dicimus, sit omnino  
admittenda? An ea mutatio, quecumque illa sit, per quam  
Christus sub panis specie velatur, per verba Christi fiat, an  
verò per usum suscipientis? An Corpus Christi ubique,  
æquè ac Diuinitas ipsa existat? An quendiu species confe-  
crae remanent, atque incorruptæ asservantur, Christus sub  
illis remaneat? An adoratio debeatur Eucharistie, dum af-  
seruatur? Ad extreum, an de utriusque speciei usu, nobis  
praeceptum Christus reliquerit? Quæ etsi ad fidei mysteria  
summè necessaria sunt, non omnia tamen his Assertionibus  
perseguemur; ne Thesum multitudine plus equo liber ex-  
crescat: sed ea tantum à controuersia vindicanda duximus,  
quæ contra realem presentiam corporis, & sanguinis Domini-  
ni, in Eucharistia, & Transubstantiationem panis, & vi-  
ni, Aduersarij comminiscuntur. Quare rem totam, quin-  
que Capitibus duntaxat, quæ suis tamen constabunt parti-  
bus, completemur.

## CAPUT PRIMUM.

Sectarij omnes, dogmata sua cum Iudeis, Gentibus,  
priscis Hæreticis, ipsoque Dæmoni communia  
habent: inter se verò pertinaci, & implacabili dis-  
cordia ardent.

### PARS PRIMA.

*Causa, cur Sacramentarij in Eucharistia, rectum Christum esse negent, non  
alii est, quam quæ Iudeos olim, & gentes impulsi, ut eundem Chri-  
stum, carne mortali opertum, Deum esse negarent.*

  
PRIMA ASSERTIO.  
Væ duo vitia à fide Christi Dei, in carne oculati, vitæ per crucis mysterium auctoris, Iudeos, ac gentiles auocârunt: eadem in Sacramentarijs nostri temporis coniuncta, eos ab eodem Christo, sub speciebus latente, vitæq; per Eucharistie mysterium conseruatore, non cessant auertere. Ut enim Iudeis olim superbia, gentibus verò perfidia, ignominiam crucis Christi, scandalum, & stultitiam esse persuasit: sic modò tumidæ mentis elatio, & perfilia tenebræ, Hæreticos impellunt, ut humilitatem mysterij Christi in Eucharistia, stultitiam, & minimè ferendum scandalum esse credant.

I I.

Q Væ enim aliæ cause esse possunt, cur nostra tempestate  
Hæretici Eucharistie mysterium adeò discerpant, quæni-  
tum illa ipsa gentium perfidia, quæ (sensuum magis experien-  
tiæ, quæ auctoritati Diuinæ fidem habés) quod oculis, gustu,  
odoratu panem esse sentit, panem non esse, credere, meram iu-  
dicat stultitiam: tum superba mentis elatio, quæ Christum (qui  
verus Deus est) sub humilium elementorum speciebus vere  
contineri, verè ab hominibus comedî, & ab animante etiam  
viliissimo in stomachum transmitti posse, ut blasphemum di-  
ctu, ita creditu impium, ac nefarium esse prædicat?

A 3 Con-

**C**ontra verò in Catholicis, quid nisi animi submissio, & constans fides, (quibus & sensuum, & intellectus iudicia in obsequium fidei captuantur) effecerunt, ut illis Christus non minus occultatus in speciebus panis, quam Diuinitas eius in carne, nec minus comestus ab impiis, aut ab eisdem in terram abiectus, quam flagellatus à gentibus, & ab eisdem exaltatus in cruce, non scandalum, sed virtus Dei immensa, non stultitia, sed sapientia videatur infinita?

**Q**uare qui Christi honori à nobis detrahi putant, cùm dicimus, Christum in Eucharistia posse ab indigno in perpetuus execrandum transmitti, imò etiam pedibus cōculari, inde scandali sumunt occasionem, vnde summam Diuinæ laudis materiam capere debuerunt: non satis, scilicet, edocti, in quo verus Dei cultus, & maximus eius honor sit reponendus. Ac proinde, dum leuis, ac pueriles quosdam Deo ascribunt honores, verum ac solidum admunt. Lutherus certè in cæteris ineptus, & blasphemus plerunque, hac tamen vna in re prudenter, & modestior, Honorem (inquit) illi Dei in eo collocant, vt in sericeo sedens panno, in cælo, creaturarum suarum immemor, canticis Angelorum delectetur.

**N**ostra autem sententia, non tatum profecto gloriae Christo peperit, oculos cæcorum illuminasse, mortuos ad vitam reuocasse, aut mundum hunc pulcherrimum ex nihilo produxisse, imò etiam thronus ipse, quo cælis excelsior factus, sedet ad dexteram patris: quantum charitas illa prorsus diuina, qua Deus immortalis ignominiosum illud crucis patibulum sustinere, & in Eucharistiæ speciebus sese amore nostri occultare, non est designatus.

**S**i etenim animos nostros ad beatissimas illas mentes referamus, quanto eas stupore abreptas esse, quam in eximias laudem voces prorupisse existimabimus, cum Diuinæ mentis cel-

situdinem, excessu charitatis immensæ, & nobis sese dandi desiderio accensam, ita se abiecisse conspexerunt, vt non solum carne contegi, & à cruce pendere, sed in eadem quoq; carne, sub panis specie, sese comedendum mortalibus exhibere vellet? Deficit enim acutissima beatarum mentium intelligendi facultas, in tanta defixa humilitatis atq; charitatis abysso.

## P A R S S E C U N D A.

*Aduersarij, dum sua dogmata, à Spiritu Sancto sibi data esse, iactant, à Demone ea accepisse se produnt.*

## A S S E R T I O V I I .

**H**oc igitur dupli instructi præsidio, perfidiæ, & superbiæ, cùm ad Scripturas interpretandas accedant Hæretici, non mirum est, si figuris & tropis vndequaq; conquisitis, verbum Dei, eorum sententijs repugnans, ita detorqueant, vt vnicam Christi simplicissimam, & planissimam sententiam, Hoc est corpus meum (qua Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit) iam pridem in octoginta inter se contrarias, & repugnantibus interpretationes distracterint: & eorum tamen singuli (quod extremæ dementiæ est) suam opinionem Spiritu Sancto reuelante è cælo, cæteros omnes à Diabolo accepisse constanter affirment.

**E**t quidem Carolstadius, (qui, vt primus sacerdos vxorem duxit, & primus nostro seculo, imagines in templis confregit, sic & Christū in Eucharistia primus negauit) in illis verbis, Hoc est corpus meum, Pronomen Hoc, demonstrare corpus Christi, prout sedebat in mensa (vt sensus sit, Hoc, quod sedet in mensa vobiscum, est corpus meum) se per reuelationem non solum Spiritus Sancti, sed etiam Patris æterni didicisse, asseueranter, & impudenter docuit.

*Claudius de  
Sainctes Repetit.  
Primo.*

*Libro contra La-  
tinerum edito,  
anno 1524.*

*Dialogo de  
Eucharistia.*

## I X.

**C**Vm tamen Caluinus (quem Beza in vita eius affirmat, intimum Spiritus Sancti Organum fuisse, & præ alijs omnibus, post vnicum Christum, genuinam cœnam Dominicæ intelligentiam aſſecutum esse) Hoc eit corpus, pro, Hic eit panis reprætentans corpus, Metonymicè positum scribat, Spiritu Sancto, vt ipſe putat, dictante, cum ait: *Si offendero me non aliter loqui, quam Spiritus Sanctus nos docuit, me veterius virgini, iniquum erit.* Carolstadio vero reuelatam expositionem, tanquam stupidam, Caluinus omnibus irritandam propinat.

## X.

**Q**Vis, quæſo, Spiritus ille fuit, veritatisne, qui à Patre procedit, an vertiginis, mendax ab initio, & mendacij Pater, qui priujo huius nouæ Sacmentariorum doctrinæ, Evangelistæ Carolstadio reuelauit. in his verbis, *Hoc eit corpus meum,* *Hoc, significare corpus, quod ſedebat in mensa: cùm idem Spiritus reuelauerit intimo organo ſuo Caluino, Hoc, in ijsdem verbis, panem significare, non corpus?*

## X I.

*Apologia pro  
sane Damni.*

*Liber pro erigendo  
pabulo. Lib. 1.  
Contra Regem  
Anglie. In Acto  
Bellicum. Vnde  
zurbergenſis.*

**Q**uid, quod Bucerus, istorum discipulus, affirmat, ſe, eodem Spiritu Sancto reuelante, didicisse: *Hoc eit corpus meum,* positum eſſe, pro, Hæc eit protestatio beneficiorum meorum: Cùm tamen Lutherus (qui ſe à Deo missum eſſe afferit, & alibi iactat, certum ſe eſſe, ſua dogmata eſſe de cælo) de reuelatione Buceri ſic scribat: *Quis sanæ mentis dubitare poſſet, reuelationem, quam iactat Bucerus, à Sathanā eſſe ſuggeſtam?* Transfigurat enim ſe Sathan, affirmando Apoſtolo, in Angelum facit.

## X II.

**I**lla porro verba Christi, *Hoc eit corpus meum,* ſine ulla figura accipienda eſſe, ita tamen, vt nullam vim habeant efficiendi id, quod enunciant, niſi cùm ministri fide recitantur, à Sathanā ſe didiciffe, impius homo gloriatur, dum ſic scribit: *Contigit me ſeme! ſub mediam noctem, ſubito expereſieri, ubi Sathan me-*

*th. in mecum cœpit eiusmodi diſputationem: Audi, Doctoṛ Luthere, niſi te annis quindecim celebrasse miſſas priuatias. Quid ſi ibi non adfuſſet corpus Chriſti? Niſi enim, te nullam habuiffe verā fidem sub Papatu, niſi mere historicam, quam habent Diaboli. Quis verò legit unquam ſcriptum, hominem ſine fide poſſe conſecrare? Deniq; afferit, Diabolum vſum eſſe quinq; argumentis, quibus cùm respondere non poſſet, in eius deliſcendit ſententiam, quam ſtatim ſequenti folio, multis probare contendit.*

## X III.

**I**Am Oecolampadius, qui figuratè, Hoc eit corpus, pro, Hæc eit commemoratio corporis, positum eſſe ſcribit, vt ſuum hoc ſomnium etiam Spiritui Sancto tribueret, ad Bellicanum ſcribens, ait, *Se Spiritui in ſe loquenti, ac nouam de Euchariftia opinionem ſuggerenti, contradixiſſe ſep̄e.*

## X III.

*Ad Th. eccladium  
Bellicanum.*

*Lib. de ſuſilio  
Euchariftia.*

**D**Emum, vt nunquam ſecum non pugnet sanctus iſte spiritus, iſtis noua hæc reuelans mysteria, Zuinglius, ſpretilis omnibus cæteris expositiōibus, tanquam à Diabolo ſuggestis, Diuina reuelatione didiciffe ſe iactat, *Eſt, pro Significat, accipi debere, cùm ſic ſcribit: Inuenta hac expositiōne, reſtabat adhuc non minimus conatus, quo ſcilicet exempla produceremus, que nulla cum parabola coniuncta forent. Cœpimus omnia cogitare, attamen aliud nihil exemplorum occurrebat. Vera narro, atq; adeò vera, vt celare volentem conscientia cogitat effundere, non ignorans, quantis me contumelij, riſibusq; exponam. Cùm tredecima Aprilis lux appeteret, viſus ſum mihi in ſomno, multo cum radio, denū contendere cum aduersario ſcriba. Ibi tanquam è machina, viſus eſt monitor ad eſſe (ater fuerit, an albus, nihil memini) qui diceret: Quin, ignaue, respondes ei, quod in Exodo ſcribitur: Eſt enim phaſe, hoc eſt, transiſtus Domini? Protinus, vt hoc Phasma viſum eſt, ſimul expergeſio, & è lecto exilio. Hæc Zuinglius.*

## PARS TERTIA.

*Longè magis Sectas inter se, & Sectarios à seipsis, quam ab Ecclesiis distidere.*

## ASSERTIO XV.



Vnde si tot interpretationum monstra, portentorum omnium patens Hæretis, ex vnica tam breui, & plena sententia enixa est: nemo à nobis expectare debet, vt, quæ de re ipsa tota, prodigiosa insomnia eadem procreauerent, enumeremus omnia. Quoniam tamen (vt D. Hieronymus ait) plus laboris insumentum est, in eruendo hæretico dogmate, quam refellendo; & ipsum detexisse, magna ex parte est conuincere: principiò, dogmatum Hæreticorum, summa saltem capita perstringemus, non tamen omnia (haud enim facile fuerit, sectas propemodum innumerabiles recensere) sed ad tria eas, vel reluctantes, membra redactas proponemus, vt ex earum concordia, cæteratum faciat lector coniecuram, & tam istas, quam illas, à quo Spiritu prouenant, animaduertat.

X V I.

*Celini lib. 4. In fita ca. 17 lata.  
24. Bucerus in Hef-  
fesu, & cetera  
Guilelmus Hol-  
derius. Petrus  
Morterius Bren-  
tianus, & in ma-  
gno volumine.*

**E**T primò quidem, Sacramentarij omnes Christum ita cælo concludunt, vt eum non modo in Eucharistia re ipsa non esse, sed nec per Diuinam potentiam, corpus suum gloriosum, & spirituale factum (vt ait D. Paulus) ne inuisibiliter quidem collocare posse, pertinaciter affirment.

X V I I.

*Brentio lib. de  
Mater. Chri. Et  
lib. de Refut. Cis-  
tis. Itad dexter-  
em. Petrus  
Smidelianus, in  
Theologia de Ma-  
ter. Chri. & de Pe-  
nit. & de Pœn. Chri. In lib. 117. Wissippus in contra Beanners a Cuffio.*

**C**ontra Brentiani, Smideliani, Vbiquitarij non modò in Eucharistia Christi corpus collocat, sed in quolibet etiam loco ita verè, & propriè, vt illud non magis in pane consecrato, quam in pepone, nec minus in terra, atque etiam in inferno damnatorum, quam in cælo esse existimant.

X V I I I.

**L**utherus neque hos, neque illos sequitur: & hos quidem quasi stultos, illos verò, cœu impios, etiam execratur. In Eucha-

Eucharistia enim Christi corpus esse concedit: sed ne vel in eo cum Ecclesia Catholica consentire videretur, ita Christum cum pane, quem manere vult, post consecrationem miscet, vt (quod per nullam potentiam fieri potest) panem Christi corpus esse, non minus rectè, quam verè dici contendat. Atque ita Sectarij inter se conueniunt.

X I X.

**Q**uoniam verò Sectarum qualibet se solam sibi constare, se verum Sacramentorum usum, & veram Scripturæ intelligentiam habere iactat: vnius, vel alterius ex præcipuis exemplum proponamus, & quam sibi vnaquæque illarum parum constet, suaque dogmata ipsa condemnat, despiciamus. Ut autem Vbiquitarios interim mittamus, ne omnes persequi velle videamur: Lutherani in ea, quam tradunt de Christi præsentia doctrina, ita inter se digladiantur, vt illud tam cruentum, & luctuosum spectaculum nemo possit non miserari.

X X.

**Q**uod, ne quis me fingere arbitretur, prodeat primùm Melanchthon, deliciæ ille Lutheri. An non hic, dum fidem non Ministri, sed eius, qui suscipit, ad præsentiam Christi statuendam requirit, Luthero præceptoris suo docenti, Non eius, qui suscipit, sed Ministri esse necessariam fidem, aduersatur?

*Melanchthon in  
iudicio de cana.**Lutherus lib. de  
Missâ priuata.*

X X I.

**Q**uid Bucerus? Cum neque Ministri, neque suscipientis fidem esse necessariam, sed solam nudam actionem, ad Christi corporis præsentiam sufficere contendit, diversumne ab illis duobus afferere, an idem cum eis sentire, cuiquam videri potest?

*In cap. 26.  
Matthæi.*

X X I I.

**H**eshusum aliquis fortasse excipiet. At hic, cum post verba quidem illicè corpus adesse, sed tamen, cum vel prioribus labris attingitur, abscedere dicat, an non vniuersis Lutheranorum coetibus contradicit?

*In lib. de presen-  
tia corpori Chri-  
sti in Cana,  
quæ adiit  
anno 1560.*

B 2

Quid

## XXII.

*Luth. quoniam edidit  
anno 1571, pars  
1. Col. 1. 2.*

*Kemnicius in  
Tractatu Comily  
Tract. 1. cap. 1. 2. & 6.  
de Eucharistia.*

*Kemnicius ibi-  
dum, cap. 3.  
Heshusius lib. de  
Præterita corpo-  
ri Christi in  
Ecclesia.*

*Elyricus in Apo-  
logia, pro confi-  
fione Antwerp-  
na, cap. 4.*

*Melanchthon in his  
Indicione de cana.*

**Q**uid Illyricus? Pugnarene cum Kemnicio, an consentire videtur? Quorum ille quidem, toto Cœnæ tempore Christum adesse, & ea peracta, statim, (etiamsi hostiæ remanent) recedere: hic eum, si afferuerint hostiæ, ad vnum quidem, aut alterum diem manere posse, ceterum si diutius afferuerint, abscedere, constantissime affirmat.

## XXIII.

**I**Am vero omnes propè Lutherani docent, post sumptum panem Eucharisticum, Christum ibi esse definere: at, post eundem sumptum, corpus Christi in stomacho verè adhuc remanere, & corpori nostro vniri, afferunt Kemnicius, & Heshusius.

## XXV.

**N**eque hic est delirandi, & contradicendi finis. Nam in adoratione eiusdem Christi in Eucharistia, tantum abest, ut consentiant, vt ea sola re maxime à se discrepare videantur. Illyricus quidem Diuinitatem, & animam, cum corpore Christi in Eucharistia esse negat, & ideo eam adorari non debere contendit: Melanchthon, licet vtrumque cum corpore adesse concedat, contendit tamen, nullam ibi Christo veneracionem tribui oportere.

## XXVI.

**C**ontrà alij, cùm totum Christum adesse fateantur, vt internam ei adorationem denegari impium putant, ita externam tribuere, superstitiosum esse existimant. Dissentiunt ab his omnibus Brentius, Bucerus, Westphalus, & Kemnicius, qui & interna, & externa veneratione Christi corpus in Eucharistia adorari debere, probant.

*Brentius, in Ad-  
pologia confessio.  
Vitterbergenius.  
Bucerius in cofes-  
tatione Domini.  
Westphalus lib. contra loquacem a Lasko, Kemnicius in pars. Tract. cap. 3. de Eucharistia.*

## XXVII.

**N**ec in solis Lutheranis hoc tantum dissidium cernitur, sed multò magis in Sacramentarijs, quibus rejecto sensu proprio verborum Christi (quem Lutherani proprius attingunt) non modò ex omni figuratum genere eligendi illam, quæ cuique

que magis probatur, summa est facta potestas, sed etiam necessitas imposita. Verum hæc eorum discordia suo loco melius videbitur. Nunc hoc tantum ostendendum erat, impudenter facere Sectas omnes, quæ, cùm inter se, & ipsæ secum grauitate dissideant, quælibet tamen earum se sibi constare afferuerat, & Spiritum Dei sibi arrogare non dubitat.

## P A R S Q U A R T A.

*Non modo Sectas ipsas, & vnum eiusdemq; Sectæ homines inter se, sed quod longè turpisimum est, vnum & eundem sepe Hereticum secum pugnare turpisimum.*

## A S S E R T I O XXVIII.



**V**A M autem Aduersarij sibi ipsis singuli content, vel ex uno Caluino, quem Sacramentarij tanquam Deum aliquem admirantur, clarè perspiciemus: qui ita in variasse mutat formas, vt cum modò cum his, modò cum illis, modò cum neutrī sentire existimes. Docet is Christi corpus in Eucharistia dari, & id ipsum corpus, quod traditum, passum, & cruci pro nobis affixum est: idque nos ita verè sumere, vt illius Symbola sumimus. Addit præterea, neminem prius hac de re dubitare debere, quia, scilicet, Christus fallax non est, & visibili elemento semper ipsam adiungit veritatem. Quo quid magis Catholicum ab eo dici potuit? At quamdiu sibi in ea re constet, operæprecium est aduertere.

## XXIX.

**C**lamat ille multis in locis, Christum è cælo auocari, nefas esse: At hoc cùm dicit, an non secum pugnare, an non uno ore sorbere & flare videtur? Quomodo enim si Christus in Eucharistia non est, à nobis non minus verè, quam Symbola ipsa, sumitur? Quomodo verissimum ipsius corpus nobis datur in Eucharistia, & vetè comeditur, si, quemadmodum ille ait, extra cælum esse non potest? Quid enim absurdius, quam afferere, Christum & simul nobis vniri, & simul à nobis toto cælo distare?

B 3

Visque

*In ultima adver-  
titione ad West-  
phalum, & lib.  
de ratione metu-  
de concordie, &  
lib. 4. Inflit. cap.  
17. Parag. 24. &  
10. & in cap. 11.  
prioris ad Cer. &  
in vlt. adver-  
titione ad Westphalum,  
& lib. de  
caena Domini.*

*Lib. 4. Inflit. ca.  
17. Parag. 19.  
& 31. Et lib.  
contra Heshusius  
lata. Et prioris  
adver-  
titione ad  
Westphalum.*

XXX.

**V**Sque adeò verò ille sibi constat, vt iam ipissimam carnis Christi substantiam, iam succum<sup>b</sup> quendam ex carne, non carnem ipsam, iam nec succum, nec carnem, sed vitam Diuinam, & Deo essentialē, iam vim quandam, iam horum nihil in Eucharistia Sacramento nos percipere, sed gratiam tantummodo in Baptismo antē collatam signari, & ob-signari affirmet.

a Lib. de optima ratione mundi concorde.  
b In Confessione, cum Menandro  
Tertius Calixtus, Et lib. 4. In-fit. cap. 17. Pa-  
r. 13. c. lib. 4. In-fit. cap. 17. Pa-  
r. 13. d. Lib. in Hesia. 21. & in cap. 11. Trium ad Corin-thos. & i. ultima admonitione ad Westphalum,  
e Lib. 4. In-fit. cap. 14. & cap. 17. Parag. 3. 4. 5. & Voluntas lib. 3. contra 7. Columna pagina 134.

XXXI.

**H**is tamen commentis ita gloriatur, vt non solū Catholicos, crassos, comedores, Anthropomorphitas, literales magistros, sed etiam reliquos Sectarios omnes (vt qui cælitus reuelaram ipsius doctrinam assequi non possint) præse contemnat, de suaq[ue] sententia iactabundè afferat, esse tam eximiam, & miraculi plenam, vt omnem captum humānum excellat.

## PARS QVINTA.

*N*on nihil adferant Aduersarij, sed præcedentium tantummodo perditissimum quorumq[ue] Hereticorum infantas, & condemnata dogmata colligunt, eisq[ue] suis tanquam Diuina oracula credenda proponunt.

## ASSERTIO XXXII.

**V**oniam verò iam ostensum est, ex tot, tantisque Sectariorum discordiis, doctrinam illorum à Spiritu Dei proficiisci non posse, vtpore, qui semper idem est, nec sibi vñquam potest esse contrarius: sequitur, vt probemus, cùm egregie in dogmatibus suis cum priscis hæreticis consentiant, quod non aliunde illa, quā à maligno & damnato corundem Spíitu, depromperint. Negant Sacramentarij, verum, & reale corpus Christi in Eucharistia contineri, quod modum, quo id fiat, non intelligunt, Capharnaitis illis in hoc simillimi, quos primos Hæreticos Augustinus vocat. Negavit idem quoque Simon

Lib. de Optima ratione mundi concorde.Ioan. 6.a Gratianum de Conferentia. D. 1. cap. 4. Incon-tinens in Par. ce. 8.

Simon Magus<sup>a</sup> cum Menandro discipulo: negarunt & Be-

b D. Gratianus  
fianci, & Simone in Epiph. Aug. Thalassim,  
Tandem in Catalogo flaret.

XXXIII.

**F**Abulantur Vbiq[ue]tarij, Christum non minùs in pane pro-fano, quā in consecrato, & in qualibet alia re, verissimè reperiri. Eadem Manichæorum fabula fuit, quam bellè re-

cōtra Faustum.  
lib. 10. cap. 13.

fellit Augustinus.

XXXIII.

**D**ocuit Lutherum Diabolus, Eucharistiam à sacerdote perfido non consecrari, etiamsi verba cum intentione debita reciter. Id quoque ante mille ducentos annos Dona-tistis Dæmon suggesterat.

XXXV.

**N**On Eucharistia sumptionem, sed fidem & orationem Nefle, qua & Patres antiquæ legis, in Manna, & nos eodem prorsus modo in Eucharistia, ex Christi passione, haurimus salutem: docent, Zuinglius, Caluinus, Beza, & Sacra-men-tarij omnes. At id à Maßilianiis Hæreticis damnatis, ante mil-le ducentos itidem annos accepertunt.

XXXVI.

**A**sserit Caluinus, & Illyricus, carnem Christi in Eucha-ristia non necessariò esse vnitam cum Divinitate, & pro-inde à Christo dictum esse, Carnem non prodesse quicquam. At hoc idem affirmantes Nestorianos, Concilium Ephesi-num damnat.

Caluin. lib. 4. In-fit. cap. 17. Par. 35. Illyricus libro edito anno 1574. cōtra Sacramen-taria. part. 2. Argum. 25. & par. 3. in foliis 3. Concil. Ephesi. Epiph. ad Nestor. & Cyril. in explicatione Antithematissimis 13.

XXXVII.

**C**arnem Christi mortuam, sine anima sub pane contineri, docet etiam Illyricus. Docuit hoc idem Apollinaris.

Illyricus loca ci-pato. D. Illyricus. Tri-par. lib. 9. cap. 3.

XXXVIII.

**C**hristum post consecrationem adesse quidem, sed si consecrati panis aliquid maneat, statim recedere, docent Lu-therani ferè omnes cum Illyrico. Hoc verò etiam infanientes Nestorianos affirmasse, testatur Cyrillus, cùm dicit: *Audio, quod dicant benedictionem, si ex ea remanserint reliquie, in se-quentem diem ad sanctificationem inutilem esse, sed infanienti di-centes*

D. Cyriacus in Epiph. ad Calixtum.

centes : Non enim Sanctum Christi corpus immutatur, sed benneditio vis, ac gratia vinificans iugis est.

X X X I X.

*Vulcanus lib. de Imaginaria.*

*Damasc. lib. 4. de fine Ostendit, cap. a. & 10. Re- ruginus in cap. 14. Matthei. Euthymius in cap. 14. Marc. Trop. v. m. 14. Matis. & in 6. Iacob.*

**D**acent Sacramentarij, Eucharistiam non esse corpus, & sanguinem Christi, sed tantum figuram, aut imaginem corporis. Idem quoque affirmantes Iconoclastas damnat septima Synodus Oecumenerica, & confutant Damascenus, Remigius, Antisiodor, Euthymius, & Theophylactus.

X L.

**D**emonstratum satis esse, pro Thesum breuitate, arbitror, quomodo Iudaicis & Gentilijs fundamentis nisi, ruinosam Babel turrim Hæretici extruant: quāmque Deus eorum voces non externas tantum, sed multò magis internas mentis confundat, nec iam in 70. linguas, sed in tot, quot capita inter illos sunt, imò in plures (cum nullus non etiam secum pugnantia loquatur) diuiserit. Quare nunc ad ædificium ciuitatis sanctæ Hierusalem transeamus.

### CAPUT SECUNDUM.

Verba Christi, *Hoc est corpus meum*, non in figurato, sed tantum in proprio sensu accipienda sunt.

#### PARS PRIMA.

*Nulla figura in illam Christi sententiam, Hoc est corpus meum, quadrare potest.*

#### ASSERTIO XL I.

**V**i proprio, & naturali verborum Christi sensu acquiescere nolunt, necessariò confiteri coguntur, se, si non de Omnipotentia, saltem de veritate Christi dubitare. Vt enim ille, qui ne pecuniam, testamento à patre legatam, filio tradederet, figuram aliquam comminiseretur, contenderetq; vocabulum, Pecunia, figuratè accipi oportere, veteratoriè egisse dicere-

diceretur; non solum propterea, quòd pecunia alterum spoliasset, sed etiam, quòd impostoris crimen parenti imposuisset: ita, qui Christum planissimis illis suis verbis, non corpus ipsum, sed figuram tantum corporis, per ne scio quam Metonymiam, dedisse nobis contendunt, eadem opera & nos hæreditate preciosissima spoliant, & Christum fraudulentum testatorem esse confirmant.

X L I I.

**Q**uare Catholici, ad veritatem corporis Christi in Eucharistia sibi persuadendam, vel unicum illud verbum simplicissimum Christi, *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, satis superq; esse existimant: quando nimis, nec de Omnipotentia Christi, nec de ipsius verbi veritate dubitant, certi ipsum posse, quæ velit omnia, solum imponere hominibus, nec posse, nec velle.

X L I I I.

**F**remunt tamen, & frendunt hic Zuinglius, & Caluinus, nec minus de Omnipotentia Christi, quām de veritate eius dubitant: neque ullo modo credunt, verum esse illud, quod Christi verba significant, sed aliorum, per quascunque possunt figuras, illorum significationem deducunt. Et quoniam eos aperte negare pudet, posse Christum Omnipotentia sua, suum corpus in Eucharistia collocare, tum, ne se prodant illorum filios esse, qui ob eandem quoque causam retrò abierant, dicentes, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* tum, quia hoc uno principio admisso, Manichæi, Montanistæ, Trinitarij omnes illicè euaderent: (cū reuerā longè difficilius intellectu, & creditu sit, tres personas, realiter distinctas, esse unum Deum, quām Christum, per Diuinam Omnipotentiam, corpus suum in Eucharistia inuisibiliter posse collocare) ad humanas quasdam configunt ratiunculas, absurdumque esse aiunt, Diuinam Christi maiestatem, sub viuum elementorum speciebus collocari.

X L I V.

**Q**uod genus hominum, pulchritè Augustinus expressit, his *Liber. 3. de Diversis Christianis naturis.* *verbis: Quorum, inquit, animum occupauit erroris opinio,*

**C**ontra quicquid

*Oratio 9. in  
Examen.*

Baldinger. in  
Tract. de Euse-  
bius & Cyprian.  
Et Cyprianus in e-  
ccl. et Epist. Et  
Schol. Baldin-  
gianum Genesius.

qui quid aliud assueret scriptura, figuratum dicunt. Et Basilius eos irridens, Similes, ait, *videri ijs, qui sua somnia interpretantur, ad illud tantum respicientes, quod antea cogitauerunt, & sibi proposuerunt.* Nam quo tandem alio, quam insomniij nomine appellandæ sunt, tot Syncedochæ, Metonymiæ, Parabolæ, sermonisque abusiones, in una planissima, & breuissima Christi sententia (*Hoc est corpus meum*) excogitatæ? An non somnabant, qui dixerunt Christum, per corpus suum, Ecclesiam intelligere voluisse? Quid aliud quam merum delirium est, illud Pseudomartyris Personij, inter Hæreticos tam celebris, quo ille constanter Christum, per corpus suum, Scripturas intellexisse affirmat? Nam cum Christus dicat illud suum corpus se nobis dare, quod erat tradendum, & sanguinem, qui erat effundendus: an non efficitur ex istorum sententijs, non Christi corpus, sed aut scripturam, aut Ecclesiam in remissionem peccatorum esse traditam?

## XLV.

*Contra Iust. ec-  
clesias capo,  
Dialogo & con-  
tra Flaccum,  
cap. 17.*

*Biblio Gallica  
Genesius impresa.*

**A** Ge verò, an non illa summa blasphemia est, que ex eadem Sacramentariorum officina prodiit, ut pro Corpore, quod pro nobis tradetur, intelligamus corpus, in quo populus circumueniat? Minus profectò impiè, quanquam magis fraudulenter illi faciunt, qui ut eo facilius sensus suos stabiliant, malitiosè verba ipsa, ve expungunt, vel immurant omnia. E quorum numero ij sunt, qui, quod Hebræi demonstratiuum neutrum articulum non habeant, idcirco non *Hoc*, id est, in hoc loco est corpus meum, legendum esse affirmant. Qui si meminissent, Paulum, Lucam, & Marcum Græcè scripsisse, nunquam huius articuli mentionem fecissent.

## XLVI.

*Breza in cap.  
22. Luce.*

**I** Llud verò prorsus ridiculum est, quod hic Beza confingit, *Verba illa (Hic est sanguis meus) que aliqui in omnibus, tam Græcis, quam Latinis codicibus inueniuntur, & de quibus vel ab ipsis Hæreticis, nunquam habentes fuit dubitatum, initio quidem ab Euangelistis scripta non fuisse, sed in margine apposita, postea successu temporis in textum irreppisse.* Non puduit hominem malefanum

fanum, Lutheri consilium accipere, qui cùm Sacramentarios in tam perspicuis Christi verbis delirare videret, hoc illis per summam irrisiōnem suggestit: *Quin stulti dicitis potius, haec verba ad Euangelium non pertinere, sed nescio quomodo ex margine corporis in textum irreppisse?*

*Lub. Hoc est  
corporis.*

## XLVII.

**Q** Vám verò impudenter Oecolampadius, Bucerus, & Westphalus verba illa (*Hoc est corpus meum*) quæ apud omnes Euangelistas videre est, tanquam superflua, & non necessaria, reliquunt, dicentes, totam cœnæ rationem in his verbis (*Hoc facite in meam commemorationem*) contineri.

## XLVIII.

**N** Ec minus illud stupidum, quod ex eisdem Doctoribus quidam docent, Pronomen *Meum*, non ad naturæ proprietatem, sed ad possessionem esse referendum, ut hic sit sensus: Accipite, & comedite hanc corporalem substantiam panis, quæ est mea, id est, à me possidetur. Huc scilicet euaserunt illæ tot solennes **C H R I S T I** Cæremoniæ, cùm accepto pane gratias egit, fregit, distribuit, & comedendum præcepit. Huc euasit illa tanta Euangelistarum in recensendis istorum omnibus diligentia, ut tandem Christus concluderet, In hoc loco esse corpus suum: quod tamen Carolstadius, Patrem æternum, & Spiritum Sanctum sibi reuelasse afferit.

## XLIX.

**S** Ed neq; minus est absurdum, illud Est, pro Significat, Zwinglius in Subjunctio Euila-  
ristis, & alibi.

Zwinglius in  
Subjunctio Euila-  
ristis, & alibi.

*Lucas 22.*

Ed neq; minus est absurdum, illud Est, pro Significat, Zwinglius in Subjunctio Euila-  
ristis, & alibi.

**C** 2 tum,

Nam si, cùm legimus apud Lucam, & certe ros Euangelistas, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, sensus hic est, *Hoc significat corpus meum*: certè cùm de sanguine scribat Lucas, *Hic est calix nouum testamentum*, sensus esset, *Hic*, id est, *hoc vinum significat calicem nouum testamentum*. At quis esset hic calix, significatus per vinum? Nam quod vinum significet sanguinem Christi, possunt vtcunque prætendere: quod verò calicem sanguinis Christi significet, quem nullum agnoscunt à Christo institutum, illorum doctrinæ repugnat. Deinde calix sanguinis non significat testamen-

tum, sed verè est ipsum testamentum. Cū ergo Paulus & Lucas dicunt, Hic calix est nouum testamentum, profectō Est, non sumitur pro Significat. Huc accedit, quod in Græco textu (quem solum Aduersarij recipiunt) Est non inuenitur apud Lucam, sed ita hæc sententia de Christi sanguine à Luca scribitur, ut verbi Est, nullum vestigium cernatur. Quòd si subintelligatur Est, iam illud non in figurato, sed in proprio sensu accipiendum esse, idem ipse secum pugnans Zwinglius docet. Quid quòd in tota Scriptura nunquam, ne in figuratis quidem locutionibus, sumitur Est, pro Significat? Nam si, cum dicimus, Christus est agnus, Christus est vitis, sumitur Est pro Significat: necessariò inde sequetur, Christum agnum, & vitem significare. Quæ tamen ineptè dici, quis non videt?

## L.

*Calvinus & Be-*  
*la, in Hebreorum.*

Am verò, quæ est illa tam celebris Caluini Metonymia? E-  
quidem tam absurda est, vt quid Metonymiae nomen signi-  
ficet, Caluinus ignorasse videatur. Nam Metonymia Tropus  
est non orationis, sed verborum; ut cùm fâces pro magistratu,  
toga pro pace, arma pro bello collocantur. At non esset Meto-  
nymia, sed mendacium, si quis togam pacem, arma bellum,  
fâces magistratum esse diceret, & id ita esle verè affirmaret.  
Si ergo corpus pro pane, vel panis pro corpore Metonymicè  
ponitur, nec panem corpus, nec corpus panem esse, verè dici  
potest. Mendacium est igitur, non Metonymia, si (vt Aduersarij  
volunt) sensus verborum Christi esset, Hoc, id est, panis est  
corpus meum. Adde, quòd hoc genus Metonymiae locum ha-  
bet, quando signum exprimitur, res autem significata subtice-  
tur. Etsi enim lauream pro triumpho, & linguam pro eloquentia  
ponimus, non tamen vtrumque simul exprimimus, sed alterum tantum, & alterum intelligimus. In hac verò proposi-  
tione, Panis est corpus meum, Panis designans expresse ponitur, & corpus signatum non subticitur.

## L I.

D

Emùm, in Metonymia Signi(omnium, qui de Tropis  
scribunt, sententia) signum, & signatum retro non com-  
mean:

meant: hoc est, non, sicut signum ponitur pro signato, sic vi-  
cissim signatum locum subit signi. Etsi enim arma pro bello,  
toga pro pace usurpanus: nemo tamen contrà bellum pro  
armis, & pacem pro toga vñquam dixerit. At hic Caluinus, non  
signum pro re signata, sed rem signatam pro signo, corpus ni-  
mirum pro pane, collocari affirmat. Quare, manifestum  
est, Metonymiam nullam in hunc locum cadere posse. Vt  
de Parabolis, Allegoriis, Metaphoris nihil dicam: ad quas  
recurrere tam stupidum est, vt eas etiam Caluinus, & Zwin-  
glius excludant.

*Caluinus lib. 4.*  
*Institut. cap. 17.*  
*par. 21.*  
*Zwinglius de*  
*Solifidio Eu-*  
*chastitia.*

## P A R S S E C U N D A.

*Licit in eam, vel aliam Scripturae sententiam maxime figura aliqua quadra-*  
*ret, non est tamen excludendus sensus proprius, nisi id scriptura*  
*clarior, Ecclesiæ iudicio, desinat.*

## A S S E R T I O L I I .

**V**erùm, esto, possit sanè in eum scripturæ locum  
figura aliqua conuenire, libenter tamen ex ijs  
quererem, quæ necessitas eos urget, vt ista  
Christi verba, figuratè interpretentur. Nam si  
cuiq; pro libitu figuris, in qualibet scriptura, vti  
liceret, illud profectō consequeretur, vt breui pro mysterijs fi-  
dei nostræ, fabulas, & hominum commenta haberemus. At  
inquiunt, Augustinus scripturas, absurdā, & flagitiū sonan-  
tes, ad figurās transferri iubet.

## L I I I .

Ego verò, si D. Augustinum per absurdā & flagitiā intelli-  
gere dicant ea (sicut verè intellectū) quæ sunt contra legem  
naturæ, vt blasphemare, mētiri, & (vt Capharnaitæ putabant)  
Christum viuum laniare, quæ nunquam bene præcipi possunt,  
rectè illos D. Augustinum interpretari concedam. Sin omnia,  
etiam quæ absurdā videntur, etsi reuera non sint, per figurās ac-  
cipienda esse dicant: errare illos, cum vniuersa Ecclesia clama-  
bo, & Augustinum ipsum producam, vt quem sibi in causa,

*Lib. 3. de Do-*  
*ctrina Clavigera-*  
*na cap. 16.*

C 3 non

non bene intellecta, patronum elegerunt, ab eodem profili-  
gati, aliquando tandem conquiescant.

## L I I I .

*Lib. 1. contra  
Aduersarij  
Legi. & Proph.  
Iuris, cap. 9.*

**S**ic igitur ille scribit: *Eat, inquit, retro iste Adversarius legis & prophetarum, cum suis similibus, qui dixerunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Nos enim Christum carnem suam manducandam, sanguinemque bibendum dantem, fideli corde, & ore sumimus: quamvis horribilis videatur, humanam carnem induere, quam perire, & humanum sanguinem bibere, quam fundere.* En, vt Augustinus non continuo Scripturam ad figuram reuocat: & illa etiam, quæ prima facie absurdâ videntur, fideli corde, & ore fuscipere se dicit.

## L V.

**V**erum, vt Augustinum mittamus, an non eiusmodi dictorum, quæ primo intuitu flagitia præferunt, in Scripturis plena sunt omnia? Nunquid non flagitiosum esse videtur homicidium, & furtum? At & Abraham filij proprij cædem, & Israclitis usurpationem rei alienæ Deus imposuit: neq; tamen quisquam fuit, qui illud, quod iustum erat, figuratè interpretatur. Præcepit item Deus, vt Ezechiel pane stercore illito vesceretur: & iussit Esaiam nudum incedere. Num igitur aliquis eorum ad figuram configit? Nemo sanè. Omnia accipiunt, vt sonant, nec propter speciem flagitij, aut turpitudinis, tropi, vel figuræ, vlla fit mentio.

## L V I .

**P**ræterea, si quæcunque absurdâ videntur, credi non debent, nulla erit causa, cur Ariani, Montanistæ, & Manichæi male de Incarnatione filij Dei sensisse dicantur, quandoquidem illis etiam absurdum videbatur, Deum naturæ nostræ fôrdibus implicari, famescere, cædi, mori. At omnes illos, nostri etiam temporis Hæretici tanquam pestes quasdam, communi sententia, condemnât, & veluti Dei hostes esse fatentur.

## L V I I .

*Celini lib. 4. Di-  
git. cap. 17. par.  
23. Petrus Mar-  
tyr in 3. parte  
Voluminis de  
Eucharijta.*

**S**ed inquiunt, figuratam locutionem, ex collatione cum aliis Scripturæ locis cognosci posse. Quanquam enim Deum habere

habere oculos, & pedes legamus, hoc tamen per figuram intellegendum esse dicimus: quia alibi scriptura dicit, Deus spiritus est: Spiritus autem carnem & ossa non habet. Quare aiunt, cùm huic sententiæ (Hoc est corpus meum) aduersentur alia Scripturæ loca, eam figuratè accipi debere. Atqui hæc Scripturæ loca proferre deberent, quæ tamen neque sunt, neque si essent, continuo ad figuram configere oporteret. Examinandum prius esset, an utrumque simul consistere possit. Deinde, an hic locus per illum, an contrà ille per istum sit explicandus: idque non iudicio Zwinglii, aut Caluini, vel priuati alicuius hominis, ne fides nostra ingenio hominum nitatur, sed sententia Spiritus Sancti, quem in Ecclesia, ad hunc finem, vt errare non possit, C H R I S T U S perpetuo assistente reliquit.

## L V I I I .

**L**egebant quidem Ariani, Ego, & Pater unum sumus: sed in- <sup>Ioan. 10.</sup> etiam, & Manichæi, cæterique incarnationis filij Dei hostes, <sup>Ioan. 14.</sup> contra illud (Verbum caro factum est) aliud diuersum in ea- <sup>Ioan. 1.</sup> dem Scriptura, nempè, In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: & ibidem, Qui cùm in forma Dei esset, reperiebant. Nunquid igitur Ecclesia, propter istam diuersitatē, à vero sensu recessit? An non potius illos, qui aliter senserunt, tanquam Hæreticos condemnauit? Verbis vero illis, de Eucharistiæ Sacramento, cùm nulla alia Scriptura, vel ad speciem aduersetur, quam perfictæ sunt frontis, qui nos à sensu proprio, ad suas fabulas reuocare audent?

## L I X .

**A**thec murus abeneus esto, ait Caluinus. Perpetuum est in Scriptura, dum agitur de Sacramentis, ut signum pro re signata <sup>celini. in ultima admonitione ad V. de scripturis.</sup> collocetur. Sed hoc vel maximè dubium est: quomodo ergo incepit id sumūt, de quo præcipue in hac controversia disceptatur?

## L X .

**E**Quidem istorum hominum impudentiam mirari satis ne-  
queo, qui cùm præter cænam Domini, vnicum tantum Sa-  
cramentum nouæ legis constituant, Baptismum, scilicet, ablu-  
tione ex-

tione externa, & gratia regenerante constantem: & nemo illorum dicat, Ablutionem externam esse gratiam regenerantem, nec contrà: perpetuum tamen esse in Sacramentis affirmare audeant, ut res signata de signo dicatur.

## L X I.

**A**D antiqua Sacraenta recurrunt. *Ex eo enim, quod agnus, qui comedebatur in Paschate, Phasē, in Exodo dicitur, signum rei signata nomine vocari posse, à Diabolo sē edocētum affirmat Zwinglius: eōq. uno exemplo (nam aliud in Scriptura non reperitur) sē verba Christi & à mendacio vindicasse, & sententiam Sacramentorum simul, & suam corruentem erexit̄ putat.* Horrendum profectō est, exemplo vel vnicō, à patre mendacij Dæmone suggesto, fidem suam fulcite velle. Sed, quid si hoc argumentum, ab vnicō Scripturæ exemplo ductum, non nisi meram fraudem (quam perficuē mox agnosces) complecti ostenderet?

## L X I I.

**E**TENIM Phasē nomen ēsse impositum agno Paschali, dubitare nemo poterit, qui legerit libros Exodi, Leuitici, Numerorum, Deuteronomij, Iosue, Regum, Esther, & 2. Paralipomenon: quo vno postremo libro, plus quam sedecies agnus Paschalis Phasē nuncupatur. Non secūs enim, ac ouis, aut taurus sacrificio dedicatus, hostia, seu victima dicitur, agnus Paschalis Phasē nomen adeptus est. Quid ergo mirum, si agnus ille Phasē appellatur, qui hoc nomen, tanquam proprium habuit? Quem igitur hīc locum habent Metonymiae, signum, & signatum? Nomen, inquiunt, illud ideo agno Paschali impositum fuit, quia in memoriam transitus Domini comedebatur. Id verò ridiculum est. Neque enim causam querimus, cur nomen sit impositum, sed an verè ita sit impositum, ut quasi in proprium nomen abierit. Nunquid Scipionem (qui ideo dictus est Africanus, quod Africam debellauerit) sine figura Africani vocari posse negabimus? Sic nec in eo loco, signum pro te signata collocatur, neque figurat̄, sed propriè agnus Phasē dicitur. At certè corpori Christi non erat impositum, tanquam proprium nomen, Panis, ut possit verè, & propriè dici, Corpus Christi

**25**  
Christi est panis, aut contrà, sicut agnus Paschalis verè Phasē ēsse dicebatur.

## L X I I I.

**A**LTERUM igitur Sententiae suæ excogitârunt fulcimentum.

**C**ircuncisio, inquiunt, est fœdus, ut ait Scriptura. At hæc verba in tota Scriptura minimè reperiuntur. In Genesi quidem Genes. 17. legimus: Hoc est pactum meum, quod obseruabis, inter me, & vos, & sement tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me, & vos. Circumcisionem verò pactum esse, nusquam legitur. Sunt autem ista inter se longè diuersa. Nam pactum de quo Deus loquitur, est conuentio, (ut & cætera pacta omnia) quam Deus tunc fecit, quando se & populum simul iure fœderis obligauit: in cuius signum populum iubebat circuncidē. Illam ergo ipsam conuentionem, & mutuanū obligationem pactum Deus vocat, dum ait, Hoc est pactum meum inter me, & vos. Circumcisionem verò signum ēsse pacti, non pactum, aperte pronunciat Deus.

## L X I I I I.

**Q**VID, quod licet ita scriptum esset, minimè tamen signum pro re, in Sacramento, ut Sacramentum erat, signata, positum esset. Nam res signata in Circumcisionis Sacramento, ut Sacramentum erat, Paulo docente, est Circuncisio spiritualis. Rom. 2. Scriptum ergo esse debuisse, Circuncisio carnalis est Circumcisio spiritualis: ut inde concluderent, posse etiam dici: Panis, hoc est, signum Sacramenti, est corpus Christi, hoc est, res in Sacramento signata. At quis vñquam sic locutus est, Circuncisio carnis est Circuncisio cordis?

## L X V.

**S**ED sit sanè ita. Dicatur, Circuncisio est fœdus, imò etiam, Circuncisio carnalis est Circuncisio spiritualis: quod tamen quam maximè à vero aberrat. An, obsecro, si id, in vno Testamenti veteris loco, usurparum reperiant, continuò rectè inferant, id esse perpetuum? Quod si non est perpetuum, qua fronte concludunt, signum vbique, cùm de Sacramentis agitur, pro re signata usurpari?

D

Quid,

## L X V I.

**Q**uid, quod Deus Sacramenta instituens, non modò nuncquam nomine rei signatæ signum intellexit, aut contrà, sed nec potuit intelligere? Nam ubi obsecro, tale quipiam in tota Scriptura, dum de Sacramentis agitur, reperimus? Num Paschalem agnum commemorabunt? Sic arbitror. Fuit enim illud præcipuum Sacramentum, Christumque in Eucharistia comedendum significabat. Non tamen ibi, dum agnus occidi, & comedi præcipitur (in quibus duabus actionibus Sacramentum illud consitiebat) signum pro re signata, vel contrà, sed signum pro signo, & res signata pro re signata, nempe agnus pro agno (non, agnus pro Christo, quem repræsentabat, vel Christus pro agno) accipiebatur. Verissimum enim corporeum agnum mactabant, & comedebant Iudei. Quia in re certè impie egissent, si Deus Sacramentum illud instituens, signum, hoc est, agnum, non pro agno, sed pro re per agnum significata collocasset. Quæ enim alia causa est, cur Aduersarij Christi corpus in manibus Christi fuisse (cū dixit, Hoc est, corpus meum, quod pro vobis tradetur) credere impium putent, nisi quia ibi Christum rem signatam, hoc est, corpus suum, pro pane, eiusdem corporis signo, collocasse existimant?

## L X V I I.

**V**T autem Sacramentariorum aut infictia, aut versutia magis parescat, libet eos hoc loco interrogare: legerintne unquam, Deum, quando externam corporis Circumcisionem ad internam, & spiritualem repræsentandam instituit, rem signatam pro signo collocasse? Nunquid volens instituere signum externum, illud rei signatæ, nempe spiritualis Circumcisionis nomine appellauit? An unquam præcepit spiritualem Circumcisionem, volens per illam intelligere corporale? Quid Baptismus? (Vt in omni tam veteris, quam nouæ legis Sacramento Aduersariorum falsitas deprehendatur) an non is quoque ad internam animi munditiæ repræsentandam institutus est? Nunquid tamen propterea Christus exteriorem ablutionem præcipere volens, rem signatam (iuxta regulam illorum) pro signo

signo accepit? An non signum ipsum proprio nomine, nempe, Baptismi aquæ, non autem nomine rei signatae, apertissime nuncupauit? Cum igitur duo tantum supra dicta veteris legis Sacramenta, & unicum nouæ, præter Eucharistiam, Aduersariorum admittant, ex quibus particularibus, vniuersalis illa Aduersariorum regula eit collecta? Aut quo tandem fundamento, stramineus ille murus corundem nititur, vt ex eo tandem concludant, Christum, cum Sacramentum instituens ait, Hoc est corpus meum, ita rem signatam pro signo posuisse, vt non credendum sit corpus in manibus Christi fuisse, cum verba illa protulit, sed panem tantum, symbolum corporis?

## L X V I I I.

**V**Num adhuc reliquum effugium esse, iudicavit Caluinus. *Panem* (inquit) rectè corpus Christi appellari, Scriptura nos docet: Columbam enim cū vidisset Iohannes Baptista, se Spiritum Sanctum vidisse dixit, cū tamen columba Spiritus Sanctus non esset, sed certissimum signum præsentie Spiritus Sancti, descendenter super Apostolos. Panem ergo esse corpus Christi, dicere licebit, quia signum est præsentie corporis Christi, se dantis fidelibus, non minùs certum, quim columba Spiritus Sancti. Egregiam verò illationem. Nam Iohannes licet se vidisse dixerit Spiritum Sanctum, cū columbam cerneret, quod eam præsentiarum Spiritus Sancti certissimum signum esse sciret: tamen columbam Spiritum Sanctum esse, nunquam dixit, neque sine mendacio dicere potuit. Etsi enim signum pro re signata aliquando usurpare licet: tamen signum eis rem signatam, dicere sine mendacio nunquam licet. Sicut enim Thomas, qui non inuisibilem Christi Diuinitatem, sed visibilem tantum eius humanitatem oculis aspergit, verè quidem se Deum videre (quemadmodum Iohannes Spiritum Sanctum) dicere potuit: at Christi humanitatem esse Diuinitatem nec asseruit, nec nisi falso asserere potuit. Esto igitur, concedamus te dicere posse, Video Christum, cū cœnam vides, sicut Iohannes, cū columbam vidisset, dixit se Spiritum Sanctum vidisse: tamen, vt ille sine mendacio dicere non potuit,

potuit, Columba est Spiritus Sanctus, sic nec tu, Panis est corpus Christi, dicere sine mendacio potes.

L X I X.

*Lib. 4. Instit. cap. 17. par. 10. & locutione citata.*

**A**ccedit quod tametsi Ioannem dicere potuisse admittere-  
mus, columbam esse Spiritum Sanctum, quia rem signa-  
tam, scilicet, Spiritum Sanctum adeste signo certissimo sciebat:  
tamen, si rem signatam abesse toto cælo à columba constaret,  
an non plane fallio affereret, Vidi Spiritum Sanctum? Cūm er-  
go à pane toto cælo corpus Christi abesse, oinnes Sacramenta-  
rij doceant, profectò non modò mentiuntur, sed insaniunt  
etiam, cùm panem esse afferunt corpus, quod abest toto cæ-  
lo à pane.

L X X.

*Celatum in His  
inf. & Beta in  
prima declamat.  
P. fatus habita.*

*Lib. 1. de Sacra-  
men. cap. 5.*

**Q**uid, quod Ambrosius, contra Valentianos, & Mani-  
chætos, (qui hoc ipso argumento, quo tu panem esse cor-  
pus Christi contendis, Christi Incarnationem negabant) ait,  
*Non columbam descendisse Euangelista, sed quasi columbam scripsit:*  
*Christum tamen carnem sumpsisse scribit, non quasi carnem.* Sic e-  
tiam *Spiritum in specie ignis, non in veritate ignis descendisse Euangeli-  
sta declaravit.* In eandem prorsus sententiam Augustinus  
loquitur. Licet igitur Ioannes dixisset (quod tamen vere dicere  
non potuit) columbam esse Spiritum Sanctum; tamen conti-  
nuò addito illo (Quasi columbam) quid sibi eo nomine veller,  
explicauit. At Christus cùm dixisset, Hoc est corpus meum,  
non solum non correxit, quod dixerat, sed adiecit, quod pro  
vobis tradetur: item, Sanguis, qui pro vobis effundetur, in re-  
missionem peccatorum. Quæ verba nullo modo in corpus  
Christi Metonymicum, seu figuratum, sed naturale tantum  
conueniunt.

L X X I.

*Lib. 2. de Doctrina  
na Christiana.  
6. & lib. de A.  
gno Christiano.*

**D**emum, quis non videt, non modò nusquam factum esse,  
sed neque à Deo Opt. Max. fieri potuisse, vt Sacramen-  
tum instituens, dum rem signatam diceret, per Metonymiam,  
non rem signatam, sed signum eius intelligeret? Si enim tunc  
errasset homo, Dei, vel Christi iubentis culpa fuisset, non ho-  
minis.

minis. Obiectum vero errorem, posse hominem à Christo dam-  
nari, tam impium, immane, & barbarum est afferere, vt non di-  
cam de Deo, sed de impio, & feroci quopiam Scytha, nihil ini-  
quius, & truculentius dici possit. An, quæso, non barbarum, &  
iniquum Dominum iudicares, si puer clara, & aperta eius ver-  
ba audiens, illa fideliter, prout dicta sunt, exequeretur: Domi-  
nus tamen crudeles ab eo pœnas exigeret, quod rem sibi im-  
peratam, verbis planis expressam, non secundum nescio quem  
alium mysticum sensum, cuius nullum dederat ei indicium,  
perfecisset? Vt si vas vini afferri sibi postularet: adferret puer  
vas: respueret herus, & afferenti grauiter succenseret, &  
verbora etiam intentaret, quod non Biblia (vas, scilicet, sua-  
uissimo Diuinorum consolationum vino redundans, quod  
mystice intellexerat) sibi attulerit? Iniquum diceres tale esse  
imperium: iniquius, à tali puero exigere pœnas. Qui ergo  
Christus, non iniquior, & crudelior censeretur, si nos (qui  
plana, ac diserta eius verba, Accipite, hoc est corpus meum,  
quod pro vobis tradetur, sincera fide amplectimur, & solicita  
deuotione, prout verba significant, executioni mandamus)  
veluti corporis sui reos, æterno damnaret suppicio: quod alii  
sensum mysticum, quem in mente veluti ad animas nostras il-  
laqueandas inclusum teneret, non essemus afflicti? Si ergo  
blasphemum putant, existimare, iniquitatem, aut mendaci-  
um in Christum cadere posse: concedant necesse est, Christum,  
cùm dixit, Accipite, hoc est corpus meum, quod pro  
vobis tradetur, & sanguis, qui effundetur in remissionem pec-  
catorum, non modò per corpus & sanguinem signa eorum,  
sine corpore & sanguine, non intellexisse, sed nec intellige-  
re potuisse.

D 3

PARS.

## PARS TERTIA.

Hanc sententiam, Hoc est corpus meum, non figurat, sed in proprio sensu accipendam esse, ex ipsis Scripturis eiusdem circumstantiis, enuntiantur probatur.

## ASSERTIO LXXII.

**V**N C, vt iis ipsis armis, quibus nos impetrunt Aduersarij, concidant turpis, & nos apertius triumphemus, eas, quas iactant, circumstantias consideremus. Quarum prima Materia fere offert, ipsum, videlicet, Euchalistæ Sacramentum, de quo instituendo hic agitur. Quæ autem potest esse maior deceptio, quam, cùm aliquid magni momenti præcipitur, ita implicite præcipere, vt qui audit, & exequi debet, non possit non esse ambiguus, quidnam intellexerit ille, qui præcepit? At tam Chiristu notam inuri ab ijs, qui cum in tam gravi materia præcipienda, figurata locutum affirmant, quis non videt? Nam si figurata est locutio, qua instituit hoc Sacramentum, tot possunt eius esse sensus, quot in ea figuræ locum habent: ac proinde nullus erit certus mandati illius sensus, quem fidèles sequantur, vt pulchrie docet Dionyſius Areopagita, Augustinus, & Irenæus.

Dionysius Epist.  
1 Tim. 2. cap. 46.  
Irenæus, ad. 46.  
Augustinus  
Rufinus, cap. 5. &  
26. cap. 48.

## LXXIII.

**I**bet Deus Israelitas circuncidi: durum profectò mandatum, at simpliciter tamen accipitur, non per figuratas eluduntur. Iubentur igitur agnum tollere, & comedere: præcipitur illis variorum animalium oblatio: mandatur Apostolis Baptifinus: omnia accipiuntur vt sonant, & nemo recurrit ad figuratas. Qui igitur fieri potest, vt cum nullum unquam Sacramentum, nec in veteri nec in novo Testamento, immo nec sacrificium aliquod, aut Ceremonia, figuratis verbis instituta sit: hoc unum, quod maximum est, & Religionis nostræ præcipuum mysterium, per figuratam locutionem (vt de solo eo certi nihil haberemus) sit institutum? At ea figura (inquiunt) Deus usus est,

est, cùm Circuncisionis instituens Sacramentum, dixit, Cir-<sup>cen. 17.</sup> cuncisio est foedus. Reperiantur sane ea verba in Scriptura, quæ minimè reperi abundè supra est demonstratum. Certe ijs Circuncisionis Sacramentum institutum non esse, sed clarissimis, & omnis figuræ expertibus sequentibus verbis, Circuncidetur ex vobis omne masculinum, ipsi etiam Aduersarij contentur. Ne tamen vel minima ambiguitatis suspicio, ex verbis illis precedentibus, Hoc est paclum meum &c malè intellectis, oriretur; statim Circuncisionem non foedus, sed foederis signum declarandum putavit Deus, vt sit (inquit) in signum foederis inter me & vos. At verò in Eucharistiæ Sacramento, non modò in ipsis institutionis ciuis verbis, quod habebat in manibus, suum corpus esse, aperte Christus afferuit: sed ea subdidit verba, quibus non signum, sed corpus naturale se intellexisse, ita declarauit, vt nisi illum corpus naturale, non eius signum in manibus habuisse, & porrexisse dicas, nullo modo eum ab aperto mendacio possis liberare. Cùm enim non tantum dixerit, Accipite, hoc est corpus meum; sed, Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; similiter, Accipite, hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: profectò nisi corporis figuram, non naturale Christi corpus traditum, & naturalem sanguinem effusum <sup>Matt. 16.</sup> in remissionem peccatorum dicant, concedant oportet, Christum non figuratum, aut symbolicum, sed naturale corpus, quod traditum est pro nobis, iussisse accipi, dum dixit, Accipite; dedisse, dum ad manus porrexit Apostolis; & Apostolos idem naturale corpus tandem comedisse. Contra quod fundatum ipsæ inferorum portæ (iuxta Christi promissionē) nunquam præualere potuerunt hæc tenus, neq; deinceps poterunt.

## LXXIV.

**I**AM si personam Christi consideres, quam ab immensa eius terga suos benevolentia alienum est, quod cùm præuideret hæc omnia scandala, quæ (iuxta Sacramentarios) sunt, & tot seculis hæc tenus in Ecclesia Catholica fuerunt, daret tamen ineuitabilem occasionem (sententiam tam apertam, & in qua nullum

nullum figuræ signum appareret , pronunciando) vt Ecclesia, nulla sua culpa , in idololatriam laberetur, & ex eius potissimum Sacramenti vñi, maxima pars fidelium damnationem incurreret, quod ille, summo nostri amore flagrans, præcipuum sui monumentum nobis reliquit.

L X X V .

**N**ec minus essent culpandi Matthæus , Marcus, Lucas, & Paulus , qui omnes conspirassent in vnam simplicem , & apertam fententiam (Hoc est corpus meum) nec vllus illorum explicasset , figuratam esse locutionem , cum id alias in rebus parui momenti facere consueuerint.

L X X V I .

**H**Vc accedit , quod hoc mysterium coram solis Apostolis, quibus non in figuris , & parabolis, sed clare loquebatur, instituit. Vobis , inquit , datum est nosse mysteria regni cælorum , illis autem non est datum.

L X X V I I .

Matth. 13.

cyprianus.  
8; in 1 Cor. nov.  
Cyrillus lit. 3. in  
Ioan. cap. 3.

**N**ec immerito annotauit hic Chrysostomus , & Cyrilus , Apostolos , si putassent Christum figurate loqui , itatim , quid sibi vellet illa parabola , interrogaturos fuisse , vt fecerunt Ioan. 6. Matthæi 3. 15. & 29.

L X X V I I I .

**D**Enique , si omnes Cærimonias , apparatusque antecedentem , & consequentem consideremus , si lotionem pedum , si desiderium ardentissimum peragendi mysterij , cum prorupit in illa verba , Desiderio desiderauit , &c. si amoris affectum , Cum dilexisset suos , in finem dilexit eos ; si præparacionem loci secreti , & tam celebris , si separatam vtriusque elementi benedictionem , si fractionem , & porrectionem , si Christum ipsum comedentem , & eius vñsum cæteris mandantem , si Euangelistarum in enumerandis istis diligentiam , si Paulum hac in re etiam munus Euangelistarum sufficiementem , & omnes circumstantias accuratissime recensentem : quisquamine existimare poterit , Christum in re tam seria Tropis & figuris ludere voluisse , vt in errorem vniuersum orbem induceret?

Sed

Iacob. 21.

Ioan. 13.

L X X I X .

**S**ed hæc de Circumstantijs satis: nunc verba ipsa inspiciamus. Evidem , cum Christus de eo , quod in manibus habuit , tam aperte dixerit , Hoc est corpus meum ; quid nobis probandum reliquerit , non video : nisi forte (quod ridiculum est) vt probemus corpus non significare eius figuram. Vnde qui negant his verbis , Christum corpus suum intelligere voluisse , ijdem fateantur oportet , eum , etiam si maximè cupiuisset , realem præsentiam corporis sui in hoc Sacramento , non potuisse instituere. Nam cum ad significationem corporis eius in Sacramento , requirantur verba clara , & aperta: his autem verbis , Accipite , hoc est corpus meum &c. nec clariora , nec aprioria possint inueniri : si ies non instituit realem corporis sui præsentiam (vt Aduersarij volunt:) nullis ergo aliis , etiam si (vt dixi) maximè voluisse , eam instituere potuit. Scilicet ille quidem , & potuit dicere id , quod Hæretici volunt , panem esse signum corporis sui , vt etiam olim dixerat de Circuncisione , Hoc est signum foederis mei : at hoc , quod nos volumus , clarioribus verbis efferre non potuit.

L X X X .

**P**otuit (inquiunt) Christus dicere : Hoc est realiter , & substantialiter corpus meum: vel , Hoc est corpus meum , & non figura corporis mei. Quasi verè aliud sit dicere , Hoc est corpus meum ; & aliud , Hoc est realiter , & substantialiter corpus meum. Si enim est verè corpus eius , necessariò est physicum , reale , & subtilitiale , & non est sola figura eius. Quamobrem , cum similibus loquendi formis vti potuisset Christus , alijs in locis Euangelijs , nunquam tamen ies vti voluit : vt , verbi gratia diceret , tem aliquam esse talem realiter , & substantialiter. Sic ut ad illa verba , Ego , & Pater vnum sumus , non addidit , Reali ter , & substantialiter , quia illud ex præcedentibus necessariò sequeretur. Sic & Pater , cum dixit de Christo : Hic est filius meus dilectus ; non iudicauit , adjici oportere. Et non est figura substantiæ meæ. Communis igitur istis cum Ariani & Nestorianis est causa , quorum illi quidem Christum , Patri æqualem esse

Ioan. 10.

Marth. 17.

34  
esse negabant, ob non additum ad illam propositionem (Ego, & Pater, vnum sumus) Realiter, & substantialiter: hi autem eundem Christum, verè filium Patris esse inficiabantur, quòd Pater ad illa verba, Hic est filius meus dilectus, non addidisset, Et non figura.

LXXXI.

**S**ed etiamsi dixisset Christus, Hoc est realiter, & substantialiter corpus meum, num figuras istorum euasisset? Testis est Zwinglius, & Caluinus, qui etsi Patres vbique clamare vident, illud ipsum corpus reale, &实质的 Christi, à nobis in Eucharistia comedì, quod pro nobis traditum, passum, & crucifixum est: illos tamen non modò nihil contra se dicere, sed planè secum sentire, impudenter asserunt.

LXXXII.

**E**go verò Christum, cùm dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, longè clariùs & explicatiùs locutum esse affirmo: quàm si dixisset, Hoc, quod sumitis, est realiter, & substantialiter corpus meum: propter id quod subdit, se illud idem corpus dare, quod pro Apostolis tradendum erat. Si enim constat, non panem, non signum, non figuram aliquam, sed ipsum verissimum Christi corpus traditum; & item, naturalem ipsius sanguinem, in remissionem peccatorum effusum esse: etiam necessariò sequitur, id quod Apostolis dabat, verum ipsius corpus fuisse, & non signum tantùm, aut figuram.

CAPUT

35  
C A P V T T E R T I V M .

De veritate corporis & sanguinis Christi, in Eucharistiae Sacramento

P A R S P R I M A .

Verissimum Christi corpus, quod natum est de Virgine, sub speciebus panis & vini contineri, ex Scripturis aperte demonstratur.

A S S E R T I O L X X X I I I .

**F**VIDEM rectè D. Basilius de ijs scribit, qui ob ratiunculas humanas, id, quod clarè significant Christi verba, respuunt, aliumque sensum sibi per figuram effingunt: Id hominis esse, Spiritus Sancti verbis sese sapientiorem efficientis, & interpretationis prætextu, suas sententias afferentis. Quod si ita est, ut verum esse præcedenti capite, Sacramentariorum exemplo, demonstratum est: cùm Christus panem, quem habebat in manibus, benedictum dederit Apostolis, dicens, Comedite, hoc est corpus meum: eademque verba, nullo prorsus iota immutato, Matthæus, Marcus, Lucas, & Paulus referant: cùm item, accepto calice, dixerit, Bibite, hic est sanguis meus, ut Matthæus, & Marcus scribunt: & (ne fortè ullus dubitationi locus relinqueretur) adiecerit verba determinantia, de quo corpore, & de quo sanguine loqueretur: Quod pro vobis (inquiens) tradetur; & Quid pro vobis effundetur, in remissionem peccatorum: & his singulis, ad maiorem energiam, articulorum germinationem (quæ magnam apud Græcos vim habet) apposuerit: quis, nisi de Christi veracitate male persuasus, ambigere poterit, eum nobis suum illud corpus, quod traditur, & sanguinem, quem effusurus erat, dedisse?

LXXXIII.

**A**d quod ipsum euincendum, non minus potens videtur Chrysostomi argumentum. Idem illud corpus, quod Lucas, referens verba Christi, dicit tradendum pro nobis, Paulus

Homilia 24. in priorem ad Cor.

E 2 afferit

asserit frangi pro nobis. At corpus, quod traditum fuit pro nobis, non potest esse aliud, quam ipsissimum, & verissimum corpus Christi. De vero igitur, & reali Christi corpore, scripsit Apostolus verba illa, τὸν ἀριθμὸν κλεψανον. Cūm autem frangi, non possit conuenire corpori Christi, prout in cruce pendebat: necessariò profectò dicendum est, corpus sub speciebus panis verè contineri, ut de eo aliqua ratione affirmari possit, quòd frangatur. Verbum enim κλάω non nisi de ea re, quæ tanquam panis diuidi potest, verè dicitur.

L X X X V .

1. Cor. 11. **N**ec certè minus clarè id probat illatio sequens eiusdem Apostoli, quam ex præmissis illis, Accipite, hoc est corpus meum, tam audacter infert: Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Cuius quæso corporis & sanguinis? Certè non nisi eius, quod indignè acceperat. Nemo enim, nisi Sophista, & impostor, idem verbum accipit in una significatione in præmissis, & in altera in conclusione. At non Patres modò, sed omnes etiam Hæretici (ut nec teterimum illum Eucharistiae hostem, Petrum Martyrem apostatam excipiā) confitentur, hīc Paulum velle, reos veri corporis Domini eos esse, qui indignè manducant hoc Sacramentum. Qui ergo Paulum negat impostorē, & Sophistam hoc in loco agere, concedat neesse est, in Antecedente illo, nempe, Accipite, Hoc est corpus meum (vnde dictam Conclusionem infert Apostolus) verbum Corpus, in eodem significato accipi, quo in conclusione acceptum fuit, nimirum, pro vero Christi corposse, non pro signo veri corporis. Erat ergo illud, quod Christus habebat in manibus, & porrigebat discipulis, verum eius corpus, non Metonymicum.

L X X X V I .

**Q**uòd si corporis signa, non corpus ipsum, datum à Christo Paulus intellexisset, quam, quæso, ineptè intulisset, eos corporis Domini reos esse (æquè ac Iudæos, Christi interfectores) qui panem illum indignè perciperent? At, id mirum esse non

non debere, respondent Zuingliani, quòd is, qui indignè signa sumit, iniuriam non signis, sed ipsi Christo faciat: non secus atque is, qui conspuit vestem Regis, Regem conspuisse dicitur, non vestem. Quod si ita est, Sacramentarij ipsi profectò tam rei sunt corporis Christi, quòd imagines Christi crucifixi, quæ signa sunt corporis eius, confringunt, conculcant, & in igneni coniiciunt, quam si ipsum Christi corpus manibus dispergerent, & pedibus conculcarent, aut etiam contumeliose exurerent.

L X X X V I I .

**V**Estibus porrò Regis iniuriam factam, Regi ipsi fieri, quando illis est Rex induitus, si affirment, non pugnabo: at iniuriam æquè grauem esse, quæ vesti fit, quando illa Rex induitus non est, quis concedet? Quis namq; sanus dicet, æquè in Regem peccare factorem, qui vestem Regis, quando ad illum, ut eam emendet, defertur, si non detecto pilo, & genuflexo eam accipit, sed sine vlo honore, & reuerentia in menam proiectit, quam si Regem ipsum ita exciperet, & tractaret? Si igitur Christum esse realiter sub sacris speciebus concedunt: concedimus & nos libenter, eandem fieri iniuriam speciebus illis, quibus ipse quasi vestibus continetur, quæ fieret Christo ipsi. At si ab eisdem toto cælo absens Christum dicunt, æquè reum esse, qui iniuriam infert pani, quam qui personæ Christi, nisi insanus sit, nemo dixerit.

L X X X V I I I .

**Q**uid verò clarius à Paulo adferri potuit, ad eandem inepitam sententiam confutandam, & veram Christi in hoc Sacramento præsentiam astruendam, quam ratio illa dicti eius, quam subiicit, cùm ait: idè esse reos veri corporis Domini, indignè illud sumentes, quòd panem illum consecratum, non discernentes à communi pane, perinde ex eo ederent, ac si non esset verissimum Christi corpus, sed panis vulgaris? Quem Apostoli sensum apertè exprimit verbum Græcum διακρίνειν quo est visus. διακρίνειν enim (ut ex Luca, & Paulo, alijsque colligitur) significat, collatione facta plurium rerū, perspecta qualita-

Lucr. 15.  
1. Cor. 4.

E 3 te, ac

te, ac substantia vnius, ab aliis eam secernere, eisque præferre.

L X X X I X.

**Q**uod si Eucharistia est tantum corporis Christi signum, non verum corpus; cur Paulus tam anxie ad præparationem requirit probationem fui, & dijunctionem? Cur sine tanta præparatione accedentes, iudicium sibi manducare affirmat, reisque corporis Domini pronunciat? An quia signum corporis Christi est Eucharistia? At manna, & aqua de petra educta fuerunt etiam signa corporis Christi, & quidem non minus illustria, quam panis, & vinum. Eos ergo, qui ex Manna, vel ex aqua illa (quæ etiam iumentis, Dei iussu, erat exposita) sine tanta sui probatione, & dijunctione, quam Paulus præscribit, comedebant, aut bibeant, indignè sumpsisse corpus Christi, & iudicium sibi atque damnationem manducasse, Aduersarij fateantur oportet.

X C.

In ultima admo-  
x ratione ad VVest-  
phalum. &c. li. 4.  
L. 17. cap. 17.  
Parag. 31.

**H**ic versipellis Calvinus (cum male agi cum Sacramenta-  
tione ad VVest-  
phalum. &c. li. 4.  
L. 17. cap. 17.  
Parag. 31.)  
vtrò insanire eos confitetur, qui Christi corpus, quod natum  
de virgine, passum est, & resurrexit, in Coena sumi, negare  
(contra Christi aperta verba) non verentur: attamen non de-  
cere ait, vt sub speciebus elementorum alligetur Christi maie-  
stas: illud sufficere, vt simus certi, non esse Christum decepto-  
rem, qui nobis det inania signa, sed sicut cū columba in Chri-  
stum, & cum igne in Apostolos verè Spiritus Sanctus descen-  
dit, sic cum speciebus nobis verè dari corpus Christi, quod tra-  
ditum est, dubitandum non esse. At primò quidem, sicut ille  
colligit ex iis verbis, Accipite, & comedite, præceptum de com-  
edendo vero corpore, eadem prædicto ratione ex istis posterio-  
ribus, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, colligat  
necessitatem, illud, quod Dominus habebat in manibus, fuisse  
verissimum eius corpus. Nam ad Metonymiam recurrit iani  
non posse, superius est demonstratum.

X C. I.

**S**ed esto, hoc loco stupendam illam Metonymiam admitta-  
mus.

mus. Certè si nobis datur verè cum symbolis Christi caro (vt concedi debere docent Aduersarij, ne fallacem Christum dicant) prædictò non in calo modò, vt ipsi docent) sed in terra etiam, & in tot locis, quot distribuitur Eucharistia, Christi caro verissimè reperitur. Verùm in speciem, astutam Caluini stupiditatem paulò inferiùs fusiùs persequar.

X C I I.

**P**orrò in eo loco, quem unicum sibi præsidio esse putant Ad-  
uersarij, realem præsentiam Christi in Eucharistia non ob-  
scure Paulus expressit: Calix benedictionis, inquit, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; & panis,  
quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?  
Hæreticorum nemo hic sanguinem negat, pro vero sanguine,  
non pro figura sanguinis, accipendum esse; ne, si intelligent, si-  
gnum positum pro re signata, hoc est, figuram sanguinis pro  
sanguine, ineptissimè cogantur Pauli verba sic explicare, Nos  
per calicem benedictum, qui est figura sanguinis Christi, effici  
participes figuræ sanguinis Christi. Sub specie igitur panis cor-  
pus, & sub specie vini sanguis Christi continetur: quandoquidem  
fusci Christus dicitur à Paulo, cū panis consecratus  
fusciatur. Quod argumentum respuere nefas est Caluinistis.  
Sic enim Calvinus ipse eum locum Apostoli explicat: *Etsi pa-  
nus* (inquit) *sit symbolum, tamen ex signi distributione, rem ipsam  
exhiberi, ritè collizimus.* Nisi enim quis fallacem vocare Deum vo-  
let, inane ab ipso symbolum proponi, nunquam dicere audeat.  
Hæc ille. Quod si ita est, iam ergo caro Christi est verè præ-  
fens, vbiunque signa sacra exhibentur. Sed ne conclusionum  
modum, & propositam breuitatem excedamus, conglomeremus  
in unum plures simul Scripturæ auctoritates, vt vel sic  
ploræque attingantur.

X C I I I.

**Q**uod si Eucharistia præsentem Christum non continet,  
sed eius tantum figuram, aut signum, (vt illi affirmant;  
mentiuntur Matthæus & Paulus, qui affirmant omnia in figu-  
ra Testamenti noui, veteris Testamenti Patribus contigisse:  
per

Lub. 4. Infit. cap.  
17. Parag. 10.

1. Cor. 10.

per Christum autem prophetias, figuras, ac legem totam adimplerat esse: Legem præterea non imaginé rerum præbuisse, sed solam vmbram; Euangeliū, corpus, & veritatem exhibere. Falsa præterea sunt, quæcunque Scripturæ prædicant, de Testamento meliore dato per Christum, quam per Mosen. Turpiter errat Ioannes, qui duobus nouum Testamentum à veteri distinguit, dum ait, Legem per Mosen datam esse, gratiam autem, & veritatem non nisi per Christum in Testamento novo præstata.

## X C I I I I.

**D**icitur & Patres omnes, qui tam latum discrimin intercedere inter agnum Paſchalem, Manna, & Eucharistiam, quantum inter vmbra & corpus, figuram & veritatem, rem promissam & iam exhibitam, prædicant. In Aenigmate (inquit Origenes) erat Manna cibus, nunc autem in specie caro verbi Dei, est verus cibus. Panis iste viuus (ait Ambrolius) Corpus est Christi in veritate; Manna, quod mirari, vmbra est. Quantum ergo erit istud, cuius vel vmbram mirari? Potius ergo est lux, quam vmbra, veritas quam figura, corpus aeternis quam Manna de celo. Tanta est istorum diuersitas (ait Basilius) quanta est inter somnium & res veras, inter vmbram & imaginem, & id secundum substantiam subsistit. Manna (ait Cyrilus Alexandrinus) non aeternam vitam, sed breue famis remedium afferebat, quia non erat verus cibus: Sanctum vero Christi corpus ad vitam aeternam cibus est. Augustinus vero, Sicut Iosue, inquit, non verus Iesu est, nec illa terra promissionis vera, sed figurata: ita Manna non verus cibus caelitus est, sed figuratus. Demum Hieronymus, Tantum, inquit, interest, inter Propositiones panes, & corpus Christi, quantum inter vmbram, & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea qua per exemplaria figurabantur. Si autem (vt Sacramentarij docent) in Eucharistia Christus, non nisi vt in signo, & in figura est ( quemadmodum olim in Manna, aliisque legis antiquæ Sacramentis, continebatur,) an non Christus, Paulus, Ioannes, Patres, ac mundus vniuersus delirat, qui toties, adeoque perspicuis verbis contrarium docent?

cent? Caluinus ipse ingenuè fateri est coactus, Paulum Mannam vmbram, Eucharistiam corpus esse, docuisse: illud figuram Christi fuisse, istam ipsissimam esse veritatem.

## X C V.

**O**rigenes sanè, Cyrilus Alexandrinus, Chrysostomus, quoniam modo Christum mendacio liberent, cum se coparant & præfert Mannam, si caro eius in Eucharistia non est, non inueniunt. Sic enim ait Christus: Non Moses dedit vobis panem de celo, sed pater meus dat vobis panem de celo verum. Quia nimis vmbra erat corporis Christi Manna, non veritas. Inde factum esse ait, ut eorum Patres, licet ex Manna comedissent, non tamen mortem euaserint. At panis, quem ego dabo, caro mea est; Caro ait, non figura carnis: deinde pergit, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quæ certe verba in Eucharistiam, si est merè panis, & pura figura, quadrare non possunt. Ambrosius etiam, non solum non esse præstantius Sacramentum Eucharistiam, quam Manna, si in ea non continetur verè Christus, sed etiam longè imperfectius, euidentissime demonstrat.

## X C V I.

**I**am vero si Sacraenta, & Ceremoniae veteris Testamenti, ex fide ad gratiam disponebant, & spiritualiter ad veritatem (quæ Christus est) deducebant: nihil profectò interest, quo ad efficaciam conferendæ gratiarum, & virtutem adducendi ad veritatem, nempe Christum, inter Manna & Eucharistiam, non solum quo ad substantiam Sacraenti, sed etiam, quo ad modum acquirendæ rei significatæ, quod Caluinus concedit.

## X C V I I.

**D**isipit vero iterum Paulus, cum ait, impossibile fuisse, per legem præcepta legis obseruare, quia illa gratiam non conferebat. Reprobatio (inquit) fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Falso etiam asserit, Patres antiquos mortuos esse, non acceptis reprobationibus, sed tantum à longe

4. Instr. cap. 14.  
Parag. 23.

ad Rom. 8.

ad Heb. 7.

F falu-

Orig. homil. 7. in  
Num. & 1. 7. in  
Levit.  
Cyrill. lib. 4. in  
Ivan cap. 14. 16.  
18. & lib. 3. c. 36.  
Chrysost. hom. de  
predicatione Iuda.  
Et homil. 6. 5. in  
Matth. & 44.  
in Iean.  
Iean. 6.

ad Heb. 11.  
ad Galat. 4.  
ad Heb. 9.  
& 10.  
salutatis: ac demum, veteris Testamenti ritus, & Sacra-  
menta imperfecta, egena & infirma fuisse clementa, quæ nihil addu-  
cerent ad perfectum.

## X C V I I L.

I Cor. 10.  
Hier. 31.  
Galat. 4.  
**S**i enim non magis Eucharistia, quam olim Manna nobis Christi carnem aut gratiam exhibet: sed sicut Patres veteris legis non per Manna, sed per fidem Christo se coniungebant, & ex Christo per eandem fidem, gratiam hauriebant; sic modò non per Eucharistiam, sed per fidem Christo coniungimur, & gratiam ab eo percipimus: quomodo lex gratia vacua per Mosen data, gratia vero per Iesum Christum facta, id est, ad legem facilimè implendam (secundum Hieremiæ prophetiam) per nouum Testamentum collata est? Quomodo nostra Sacra-  
menta non solum veritatem, sed etiam gratiam, (vt Ioannes asserit) repromotionesque continent? Quomodo nos (vt rectè argumentatur Ambrosius, Chrysostomus, Theodoreus, Sedulius, & Primasius) ab infirmis, egenis, & imperfectis Legis sacrificijs, & Sacramentis eximeamus? Quomodo denique Legem superat Euangelium, Iudeos Christiani, Mosen Christus, Transitus maris rubri, & Manna, Baptismus, & Eucharistia?

## X C I X.

Tertull. lib. 4. in  
Marcion. Leo  
Ierm. 7. de pass.  
Ambrof. de in  
qua iustitiae sa-  
cra Mysteria, ca-  
p. 8. & 9. & lib. 4.  
de Sacram. ea. 3.  
August. de utili-  
tate pauperum  
exp. 1. & lib. He-  
nric. Homil. 27.  
Basil. de Spes.  
tu fando. cap. 14.  
**R**ecetè igitur Tertullianus, Leo, Ambrosius, Augustinus, & Basilius concludunt, Si Christus in Eucharistia non vere est, sed tanum signum Christi absentis: nullum in Euangeliō extare signum amoris Christi, præ synagoga; Christum gratis mortuum esse; figuris figuras substituisse; nihil nobis profuisse; mundo illusisse; operam perdidisse.

## C.

Basil. de Spes.  
tu fando. cap. 14.  
**I**nspite hic se euasuros confident Aduersarij, si dicant, nostra Sacra-  
menta cōtinere gratiam, & veritatem magis, quam illa antiqua, quoad modum significandi gratiam, & veritatem; quod videlicet ea clarius significant. Quod quam verum sit, eidenter Ambrosius probat, qui Manna longè perfectius Eucharistia esse demonstrat, si Eucharistia vere Christi carnem non continet. Cum enim Manna de cælo descenderit, & ab Angelis

Angelis confectum, æqualiter semper ab omnibus miraculo acceptum, & in omnem saporem suavitatis conuersum sit, vt Scriptura dicit: quis illud pane, & vino, signis vacuis, Christi corpus non continentibus, perfectius in repræsentando, atque excellentius fuisse negabit?

## C. I.

Caluinus lib. 4.  
Iuliu. cap. 17.  
Pareg. 3.  
**M**anus hic dant, vt fraude in verbo facta, elabantur lubrici illi angues. Non solum uberior (inquit Caluinus) & luculentius Christum nobis proponunt Baptismus, & Cœna, quam ritus legales, sed quasi presentem exhibent, quaratione docet Paulus, nunc corpus nos habere pro umbbris. Sed quid quæsto est illud (quasi presentem) nisi Veteratoris istius fraus, qua minus doctis, vel cautis fucuni faciat, eosque decipiatur? Nam inter adesse & abesse, exhiberi & non exhiberi, non datur medium. Vel ergo abest realiter, & sic nullum est discrimen inter nostra & antiqua Sacra-  
menta, vt antea dictum est: vel adest reali existentia, atque ita tollendum est illud, Quasi; cum verè præsens corpus Christi Eucharistia exhibeat. Ergo cum Ecclesia, corpus Christi, non in cælo solum, sed in Eucharistia etiam, reali existentia esse, vel inuitus fateatur.

## C. I. I.

Ephes. 5.  
**E**andem veritatem corporis Domini in Eucharistia, confir-  
mat Paulus Apostolus, dum comparat Matrimonium cum Christi & Ecclesiæ coniunctione. Vir, inquit, caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Ratio, Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhæredit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Quibus verbis docet Apostolus, Christum diligere Ecclesiam, sicut corpus suum. Quia Ecclesia est desponsata Christo, & facta cu eo una caro, & os de ossibus eius, & membrum de membris eius. Cum ergo negare possit nemo, qui Christum, & Paulum falsum planè affirmasse non credit, Matrimonium esse inter Christum &

*i. Cor. 6.* Ecclesiam ; & illud quidem tale , vt fiat Ecclesia vna caro cum Christo, & sit os de ossibus eius, & caro de carne eius: cumque vnio ista completa, qua sponsi fiunt vna caro, & membrum de membro , (vt Paulus ex instituto docet ad Cor.) non nisi per corporum realem & veram coniunctionem fieri possit : reliquum est, vt vnum illud inuestigemus, vbinam nostra caro ita carni Christi commisceatur, vt iam vere non vnum tantum Spiritus cum Christo officiamur, sed vna caro, & os de ossibus, & membrum de membris eius. Quod si id nusquam perfecte fieri ostenderimus, nisi in Eucharistia, manifestum euadet profecto, carnem Christi, reali existentia in Eucharistia reperi, & realiter nobis vni.

## C I I .

**T**ria autem ad perfectum Matrimonium præcipue requiri constat: Sponsalia, quæ per promissionem de futuro factam fiunt, per quam sponsi vnum spiritu efficiuntur: Coniunctionem, per verba de præsenti, quæ fit per mutuam traditionem iuris in corpora, & per quam sponsi vna caro potestate redduntur: Ac denum Consumationem Matrimonij, per quam (vt Paulus docet) vna caro actu efficiuntur. Fuerunt quidem sponsalia inter Christum, & antiquos Patres celebrata: erant enim Christo per amorem vnti, fideque despontati, in illis vacuis Sacramentis, & figuris respicientes, & salutantes tantum à longe promissiones, nuptiarum tamen celebrationem, propter aduentum Christi dilatum, non attigerunt. At in Baptismo iam inter Christum & Ecclesiam, per verba de præsenti, contrahitur Matrimonium: ibi enim non tantum fit Ecclesia vnum Spiritu, per fidem & amorem, cum Christo, vt vetus illa Iudaorum Synagoga, sed vnum carne. Licet enim actu vna caro non fiant (cum nulla turre ibi corporum actualis vnio fiat,) tamen fiunt vna caro potestate. Tradit enim tunc Christus Ecclesiae per lauacrum aquæ, in verbo vitæ, om. nium suorum membrorum, & corporis sui in Eucharistia sumendi potestatem. Similiter & Ecclesia in Baptismo abrenuncians Sathanæ, ac pompis eius, se tradit Christo, velut vxori marito. Verum sicut coniu-

coniuges per mutuam traditionem corporum, potestate, non actu fiunt vna caro, donec per actualem corporum vunionem Matrimonium inter eos fiat consumatum: sic vnio inter Christum & Ecclesiam, quæ fit in Baptismo, facit nos esse vnam carnem cum Christo potestate, non actu, donec Matrimonium per realem coniunctionem consumetur, & vno perfectissima fiat, qua nos os de ossibus Christi, & caro de carne eius fiamus, & simus duo in carne vna actu, non tantum potestate. Quod profectò non alibi, quām in hoc, de quo in præsentia nobis est sermo, Sacratissimo Eucharistiz Sacramento fieri existimandum est: cùm alibi nusquam corpus & caro nostra, cum corpore & carne Christi vere actu vniatur. Est ergo necessariò Eucharistia illud magnum Sacramentum, in quo secundum Paulum fit Matrimonium consumatum, inter Christum & Ecclesiam: per carnis scilicet nostræ cum carne Christi tam arctam vunionem, vt fiamus vna caro cum eo, & os de ossibus eius.

## C I I I .

**H**Aec vunionem corporis Christi cum nostro corpore in Eucharistia, Patrum antiquissimorum innumeræ voces, & scripta plurima confitmant, ac corroborant: nobis tamen extam multis aliquos attulisse sat erit. *Cyrillus Alexandrinus,* Nullam, inquit, nobis coniunctionis rationem esse cum Christo secundum carnem, prorsus negamus, nam Scripturis contrarium est. Quia secundum carnem ille est vitis, nos palmites: & Omnes, inquit Paulus, vnum corpus sumus in Christo, quia hoc uno pane participamus omnes. Ea enim est virtus mysticæ benedictionis, vt corporaliter faciat Christum in nobis habitare. Nescitis, inquit Paulus, quia membra vestra, membra sunt Christi? Membra ergo Christi faciam membra meretricis? absit. Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alteri ceræ liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex utrisque factum videatur: sic communione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in illo.

F 3

Hæc

*Lib. 10. in Trin.  
cap. 13.*

*i. Cor. 6.*

Hæc Cyrus. Aureum verò illud os Chrysostomus sic habet:  
*Vnum corpus sumus, ex carne & ossibus eius. Ut enim non solum per dilectionem, sed et ipsa in illam carnem convertamur, per cibum, quem nobis largitus est Dominus, illud efficitur. Cùm enim sumus in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commisit, & in vnum nobiscum redegit. Hilarius, Si verè (ait) cibo Dominico verbum carnem sumimus, naturamq; carnis sua nobis sub Sacramento admisit, vnum sumus. Et paulò infra, in eodem libro: Hæc, inquit, ideo dixi, quia Hæretici mentiuntur, quasi nobis ad filium, & per filium ad Patrem, voluntate tantum religionis unitis, nulla per Sacramentum carnis, naturalis communionis proprietas indulgeretur. Nec minus idem clarè docet Damascenus, Dicitur (inquit) Communio, & reuerà ita est, quia per ipsam communiamus Christo, & participamus eius carnem, ac Diuinitatem, corporati in unicem existentes. Tantoper autem hæc doctrina fuit in Ecclesia recepta semper, vt ex ea incorporatione carnis Christi cum nostra, Patres probent resurrectionem carnis nostræ, iuxta Christi dictum: Qui manducat meam carnem, ego resuscitabo eum in nouissimo die. Vbi Cyrus. Ego resuscitabo eum in nouissimo die: hoc est, Corpus meum, quod comedit, resuscitat illum. Et Hilarius: Interrogo, inquit, iſſos, utrum per natura veritatem Christus hodie in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè cibo Dominico, verbum carnem factum sumimus, naturamq; carnis sua sub Sacramento nobis commisit, tunc vnum sumus, quia in Christo Pater, & Christus in nobis est. Idem habet Cyrus Hierosolymitanus, & Gregor. Nyssenus. Irenæus verò, Apostolorum temporibus vicinus, scribit: Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, qua à corpore Domini, & sanguine alitur. Ergo, aut sententiam mutent, aut abstineant ab offerendo, que dicta sunt. Et alio in loco: Quomodo negant carnem capacem vitae aeternæ, que sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum est eius, ut Apostolus ait, de carne eius, & de ossibus eius.*

Quia

*Homil. 45. in  
Ioan.*

*Lib. 8. de Tri-  
nitate.*

*Lib. 4. de fide  
orth. ca. 14.*

*Ioan. 6.*

*Lib. 8. de Tri-  
nitate.*

*Cyril. lib. 4. in  
Ioan. cap. 14. &  
15. Gregorius  
Nyssen Oratione  
Ecclesiastica ma-  
gna. Irenæus lib.  
4. cap. 34.*

*Lib. 4. Inflit. cap.  
17. parag. 3. &  
10.*

**Q**uin Caluinus ipse, licet veritatis sit os or acertrimus, tamen non solum corpus Christi vnam nobiscum substantiam fieri, & animæ nostræ alimentum esse non posse, nisi nobiscum vere in vnum coalescat, constanter affirmat: sed etiam in hoc ipso Pauli loco (cum Irenæo, Hilario, Cyrillo, Innocentio primo, Chrysostomo, Theodoreto, & cæteris, qui eundem locum interpretati sunt) illam consumationem Matrimonij, qua efficiuntur cum Christo vna caro, & os de ossibus, non nisi de coniunctione carnis Christi cum nostra, quæ in Eucharistia fit, intelligendam esse, non semel asserit: & tam arctam carnis Christi cum nostra unionem & coagmentationem, in hoc Sacramento fieri agnoscit, vt eam meritò à Paulo explicatam dicat splendido illo elogio: Nos esse membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Quare extremæ dementiæ esse censet, nullam agnoscere cum carne Christi fideliū communionem, quam Paulus tantam esse putauit, vt eam admirari, quā explicare maluerit: dum sermonem illum suum de re tanta, & omnibus verbis maiore, Epiphonemate claudit: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.

**I**Am quoniam Caluinistæ figuræ admittunt, nobis autem non desunt plurimæ, & ex quidem illustres, ad veritatem presentiç corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia demonstrandam: vnam vel alteram tantum breuitatis causa adferemus. Quibus vnicam etiam Prophetiam, promissionem item vnam subiectemus, vt ex omni genere argumentorum, pro hoc augustissimo Sacramento, ostendamus, quā luculenter Deus Opt. Max. hoc Mysterium, cui se tam multi oppositi erant, confirmauerit.

**E**t quidem agnum immaculatum, masculum, tenerimum, è reliquo grege ad Pascha selectum, vt immolatus sine ossum communione integer comederetur, Paschæ nostri Christi figuram fuisse, Paulus aperte testatur, cùm Pascha nostrum immola-

*i. cor. 5.*

immolatum, Christum esse affirmat. Quod autem Christum repræsentauerit iste agnus, quatenus comedebatur, non solum quatenus immolabatur, testatur idem Apostolus eodem in loco, mox inferens, Itaque epulemur. Quod profectò inceptè intulisset, si Paschalis agnus non fuisset figura Christi, ut comedì, sed tantum ut occidi debebat. Imò idipsum Sacramentarij quoque, & inter eos sigillatim Caluinus confirmat, contra Magdeburgenses: vbi ex Paschalis agni comeditione esse iudicandum & statuendum de sacræ Cœnæ sumptione, quæ in illo repræsentabatur, affirmat: Neque id ex lege difficile demonstratur, quæ ut multa est in explicando modo, ritibus, cæremonijsque comedendi illum agnum: ita omnino ferè nihil de mætatione illius habet. Quia nimur Christus non tam, qua ratione immolandus, quamqua comedendus erat, præfiguratus fuit in agno Paschali. Quod velex his ipsis Christi verbis colligitur, cum dicit: Vbi est refæctio mea, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et, Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare vobiscum. Erat igitur agnus Paschalis, veri agni immaculati, quatenus in Cœna comedendus erat, figura.

C V I I I.

Marci 14.

Lucx 17.

*Domiina de Proditione Iudei.  
Serm. 7. de Tempore  
Domini.**Homilia 2. in  
Euangel.**Lib. 4. in Mar-  
ianem.*

**A**ccedit, quod SS. Patres omnes Paschæ comeditionem in Eucharistiæ esu adimpleram affirman. Intra, eademque mensa (inquit Chrysostomus) utrumque Pascha, & typi, & veritatis, celebratum est. Leo Magnus: *Christus vetus consumauit, & condidit nouum Pascha in Cœna.* Gregorius: *Quid sit sanguis agni Paschalis, non iam audiendo, sed bibendo didicistis.* Tertullianus: *Non equidem tanti fuit veruecina Iudaica, ut Christum usque adeò desiderio se comedendi afficerit: sed noui Paschatis, & sui corporis consecrandi desiderio captus dixit, Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare vobiscum.*

C I X.

**N**eque verò hæc ita se habere, negare vel possunt, vel au dent Aduersarij. Nihilominus ut argumentum euitent, ad commune asylum configiunt, dicentes, comedì quidem Christum, sed spiritualiter, non carnaliter. At id est, in figura,

seu

seu signo Christum per fidem comedere; sicut olim eodem modo Christus spiritualiter comedebatur in agno. Non ergo adhuc impleta est Paschæ figura secundum illos.

C X.

**P**rettereà si sat est, spiritualiter agnum comedì, ut figura impleatur, gratis igitur Christus mortuus est. Nam si ad impletandam figuram agni, quatenus manducandus erat, sat est, comedì Christum spiritualiter: cur non sat etiam erit, ad explendam eandem figuram agni, quatenus occidebatur, esse Christum spiritualiter tantum occisum? Quod si non satis est, Christum agnum, ab origine mundi, spiritualiter occisum esse, sed necessarium fuisse omnes farentur, ut re ipsa occideretur *Apoc. 13.* Christus, ut figura agni, quatenus occidebatur, impleretur: certè, ut figura impleatur, & comedēdū esse realiter, nemo iure negabit.

C X I.

**Q**uod ipsum clarius demonstrabitur, si Aduersarios seipso propriâ sua sententia iugulare ostendero. Concedunt illi figuram ad repræsentandum id, quod per Messiam venturum explendum erat, in veteri lege, à Deo datam esse. Quæro igitur, vbinam hæc figura à Christo expleta sit? In Cœna, dicunt. At quonam modo, obsecro? Per spiritualem (dicent) corporis Domini manductionem. Pari ergo ratione, dum agnus ille ante cœnam Dominicam, non sine fide Christi venturi, manducabatur, & per fidem Christus apprehensus comedebatur spiritualiter à Iudeis, figura illa implebatur. Necessum est igitur, ut fateantur, eam figuram expletam fuisse, antequam esset expleta. Quod cum sit stultum, quis figuram veri agni Christi, per spiritualem solam comeditionem, à nobis expleri posse, affirmare audebit?

C X I I.

**N**eque verò prætereundum est Manna, eiusdem Sacramenti, non modò Pauli, sed etiam Christi testimonio, celebris figura. Hoc autem Christi fuisse figuram, ut in Eucharistia sumendus proponitur, tum ipsius Domini verba, qui ait; Non *Ioan. 6.* Moses dedit vobis panem de celo, sed Pater meus dat vobis panem

G nem

## C X I I I.

**E**xtrum claudat agmen Ioannis cap. 6. in quo tam clarè Christus loquitur, ut commento Caluini, quo Christum nos suam carnem in cælo, non in Eucharistia existentem iussisse comedere somniauit, nullus omnino relinquatur locus. Quod ut demonstremus, sumimus initio hanc hypothesis: A proprio & naturali Scripturæ sensu recedendum non esse, nisi alia Scriptura, iudicio Ecclesiæ, nos ab eo compellat recedere. Cum igitur Caro proprie, carnem veram significet, & Manducare propriè nihil aliud sit, quam id, quod officio oris exerceatur, ut cibus mansus in stomachum traiicitur: certè illa verba, Caro mea verè est cibus, de carne vera, & illud, Qui manducat meam carnem, de vera manducatione (cum contrarium Scriptura nusquam doceat) intelligendum est. Quod iure negare non potest, qui animaduerterit, omnes qui illum sermonem Christi audierant, cum rectè linguam nosserent, & modum pronunciandi non ignorarent, tam Capharnaitas detractores, quam rudes discipulos, & Apostolos in fide constantes, verba illa in sensu proprio, hoc est, non de spirituali sola, sed reali manducatione, dicta, & accipienda esse iudicasse. Ideò enim primi murmurabant, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? secundi scandalizati, retrò abierunt, dicentes, Durus est hic sermo: Apostoli verò (non dubitantes, Christum posse suam carnem verè dare ad manducandum, prout promittebat) cum interrogarentur, num vellent & ipsi abire, responderunt, Domine, ad quem ibimus? Verba vita æternæ habes.

## C X V.

**Q**uod si in sensu proprio non loquitur Christus, in hoc capite, iuxta Sacramentarios, certè impostor fuerit oportet, qui cum sciret auditores accepisse promissionem dandæ suæ carnis in sensu proprio, eos inter se litigantes relinquaret, & ob verbi duritatem scandalizatos abire sineret; nec solùm non admoneret illos, ut in figurato sensu verba acciperent, sed etiam quod non credidissent verbis in eo sensu prolatis, quo illa accep-

G 2 perant,

50

*Lib. 2. Inflata.  
cap. 10. para. 6.*

*Psalms. 77.*

nem de cælo verum: tūm etiam similitudines, quæ inter Manna, & Christum, qua ratione in Eucharistia manducatur, intercedunt. Sicut enim Manna, (vt Caluinus ipse ait) cibus erat datus ad sustentandam vitam, tantum in deserto, donec peruenirent Israhelitæ ad terram promissionis: Sic Eucharistia in hoc mundo data est, ad nutriendam vitam spiritualem, donec veniamus ad gloriam sempiternam. Ut Manna illud descendens de cælo, cibus Angelorum dicebatur: sic Christus, cibus de cælo descendens, Angelorum panis nuncupatur. Ut, qui plus collegerat Mannæ, non plus habuit, quam qui minus: sic Christus totus in integra specie sumitur, & non nisi totus in qualibet eius parte accipitur. Ut Manna omnis saporis suavitatem habuit: ita Christus in Eucharistia est cibus, in se omne delectamentum continens. Sicut Manna ingratæ Iudei abominati sunt in deserto, dicentes, Nauseat anima nostra super cibo isto leuisimo; tametsi haberet in se omnem suavitatem: sic impij Christiani hunc cibum Diuinum fastidiunt, cum bonis afferat omnem dulcedinem suavitatis. Si ergo figura hæc iam completa est, (ut completam esse, negare non possunt Aduersarij) quomodo realiter & verè Christus non comeditur in Eucharistia, qui spiritualiter & figurate tantum comedebatur in Manna?

## C X I I .

*Psalms. 71.*

**N**ec verò tantum Sacramentum figuris solis præsignificasse, Diuinæ bonitati satis fuit: sed voluit id etiam, quemadmodum alia maxima suæ beneficentiaz pignora, in genus humaanum collata, per Dauidem Prophetam, non obscuris verbis prænunciare. Quid enim aliud, quam hoc sacratissimum Eucharistiae Sacramentum, in Missa à sacerdotibus, ut adoretur, eleuatum, Dauid predixit, his verbis: Erit (scilicet ipse Messias) memorabile triticum in terra, in capite montium, id est, Sacerdotum, de quibus ibidem dixerat, Suscipiant montes pacem populo? Sic enim habet Textus Hebraicus, & transtulit Diuus Hieronymus, Rabinique omnes legunt. Quæ verba Chaldaica Paraphrasis (teste Paulo Burgensi) sic legit, Erit placenta frumenti in capitibus sacerdotum.

Extr-

quitur eum, qui dicit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* ad certitudinem, euidentiamque eius, quod dicimus, affirmantes Christum ingeminasse, Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis, &c. Chrysostomus verò ait, ne parabolice dictum putaretur illud, *Nisi manducaueritis, &c.* expressioribus verbis ea Dominum elucidasse, cum dixit, *Caro mea verè est cibus, &c.* Similia multa habent & ceteri Græci Doctores, Cyrillus Hierosolymitanus, Athanasius, Hesychius, Ephrem, Cassidorus, Gregorius Emissenus, Theophilus Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, Damascenus, Theodoretus, Theophylactus, & Euthymius.

*Cyrill. Hier. Cap. 4. Mys. 5. Athan. in d. l. 5. Qua dixerit. Hierosolymitanus. Athanasius. Hesychius. Ephrem. Cassidorus. Gregorius Emissenus. Theophilus Alexandrinus. Cyrillus Alexandrinus. Damascenus. Theodoretus. Theophylactus. & Euthymius.*

*Cyril. Hier. lib. 5. de Iudicio. Cypri. in Epist. 109. Emis. tom. 5. de Pascha. Theoph. apud Hieron. lib. 2. Taphali. Cyril. Alex. lib. 4. ca. 14. in Ioan. Damascenus. lib. 4. de fide orthod. cap. 14. Theodoretus. lib. 4. Histor. cap. 11. & Dialog. 1. & 3. Theophylactus. & Euthymius in cap. 6. lema.*

## C X X I .

*Cyprianus super oratione Domini. Epib. 1. de cor. balaeric. cap. 21. & 22. cap. 23. & 24. cap. 25. & 26. Hier. Quest. 7. ad He. 1. 1. Ambr. in de cnd. Patriarcha rum. ca. 9. & de initian. sacra mysteriis. cap. 8. Epib. 6. de Sacram. cap. 1. & lib. 4. de fide. cap. 5. Leo sermo 7. ac tetram. Hilari. nus de corpore suo. ait, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* cap. 8. de Trinit. Sacerdot. in cap. 10. & 11. pro quando commendans ipsum corpus suum ait, *Hoc est corpus meum.* Reuentum cap. Alias etiam frequenter probat esse præceptum de Eucharistia, 6. Ioan. in iis verbis, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Iydot. lib. 1. de Diuino officio. ca. 18. Grego. lib. 7. Moral. cap. 4. Bernard serm 1. de Resurrecl. & serm. 1. de Nativit. Domini. Augustinus serm. 2. ad verba Apofeli. De conseru. Eman. cap. 1. in Epist. 33. Concio. 1. De peccat. mer. & remiss. a 20. Tom. 7. g. 57. super Lent. lib. 17. de Cunct. Dic. cap. 5. In ihud. Epist. 58. Advers. jacobium. &c. & Tracl. 11. in Ioannem.*

## C X X I I .

*Concil. Epif. Epist. ad Nestor. Cyril. Anathematisse 11. ex Conc. Alexand.*

**N**ec sacra Concilia de re tam graui tacuerunt: & ex Generalibus quidē, Ephesinum in Epist. ad Nestorium, sextum cap. Ioannis, literali sensu, de cœna Domini intelligendum esse

esse declarat. Idem recitat Cyrillus ex Patribus, Alexandr. & Ephesinis. Docent idem etiam expresse Cabilonensē, & secundum Nicænum.

*Conc. Cabilonens. cap. 46. con. Nic. can. 1. Att. 7.*

## C X X I I I .

**A** Duersarij demùn vel intuiti, tam claræ veritati contradicere erubescunt. Illyricus enim Lutheranorum rigidissimus, in hoc capite, de reali carnis Christi manducatione agi, ingenuè cōfitetur; imò Melanchthon, & Bogainus Caluinista idem afferunt: quorum posterior Heshusium exagitat; quod quamuis id neget, tamen in omnibus Agendis Lutheranorum de Cœna, verba Ioannis 6. cap. adferantur. Nobiscum etiam omnes Caluinistæ sentiunt. Caluinus enim, qui secum non bene agi videret, si tam aperta Christi verba, & toties repetita negaret, totus noster est. Neque solum hic de vera carne agi concedit, sed argumentis quoque multis eos, qui manducare Christi carnem, tantum credere esse affirmant, confutat. Sed quām is apertam, multiplicem, & secum pugnantem sententiam pronunciet, à nobis dissentire volens, non valens; in quas se vertat formas, dum scripturis vrgetur apertis; quām sibi parum constet, dum diuersis satisfacere conatur, caput sequens indicabit.

## C X X I I I I .

**A** T quæ, obsecro, puri puti isti (si Dijs placet) Euangelici in Scriptura testimonia inuenientur, quibus aperto Dei verbo minimè credēdum esse confirment? In eodē, inquiunt, sexto cap. Ioannis, quo Christus suam carnem promittit, ait: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. At quid hinc, quæso, concludent? Nam Catholicorum nemo, Christi verba spiritum & vitam continere, & illis, qui ea toro corde credunt, & execquuntur, vitam conferre dubitat. Nequaquam, inquiunt, id dicere vult Christus, cūm ait, Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt: sed, spiritualiter tantum intelligenda esse, quæ in eo capite, de carne sua manducanda dicit. Id verò probare nunquam poterunt. Sed sit sanè ita, vt volunt, quòd verba illa spiritualiter intelligenda sint. Numquid

*Demonstrat. 26. in Euseb. & Cœn. 1. cap. de Cœna Domini, & in 6. ea. Ioan. Melanchthon in Cœfitione, quam in suis Ecclæsi. Palæ Regnum in lib. Exercit. de Arima Heshusii.*

*Caluin. lib. 4. In- frit. exp. 17. a pag. 5. usque ad 12.*

quid ut Capharnaitæ (quos h̄c ob id Christus, Augustino & omnibus Patribus testibus, reprehendit) Christi carnem in frusta conscientiam, visibiliter vorādam credimus? An non eum carnalem intellectum detestamur? An non spiritualiter, hoc est, inuisibiliter comedendam Christi carnem profitemur? Quid si nouis his Euangelicis Christus reuelauit, eam sententiā (Verba, quæ ego locutus sum vobis &c.) non propriè, sed Metonymice intelligendam esse? Durus profectō sensus: reuelationi tamen non cedere, impium est. Impie igitur faciunt Aduersarij, qui carnem Metonymicē, hoc est, panem pro se traditum esse, non docent. Quam enim carnem se daturum Christus ad manducandum promisit, eam ipsam pro mundi vita se daturum affirmauit.

## C X X V.

**D**einde, si verba quæ ibi locutus est Christus, spiritus & vita sunt, hoc est, spiritualiter intelligenda sunt; iniquè profectō faciunt Caluinistæ, qui non omnia, quæ ibi dixit Christus, sed solum quæ illis placent, spiritualiter intelligenda esse contendunt: cum omnia, quæ ibi dixit, æque spiritum esse asseruerit. Quod si ita est, spiritualiter profectō carnem suam pro nobis tradidit Christus, non realiter. Sed concedamus illis, verba reliqua Christi intelligenda esse propriè: solum manducationem spiritualiter accipiendam. Cur igitur Cœnam suam ore corporis comedendam censem, si Christus (ut aiunt) non realem, sed spiritualem tantum præcepit manducationem?

## C X X V I.

**P**erhorrescit sanè hoc loco animus, blasphemam Caluini vocem proferre, qua spirituali suę manducationi subsidium adferre conatus, *Carnem Christi*, ait, *mortuum Adami semen; nibilq; nobis prodeſſe, niſi extrinſecè à fide, & ſpiritu noſtro excite-*  
*Nume. Tertullianus. fur: idq; Christum docuiſſe, cùm dixit, Caro non prodeſſt quicquam;*  
*lib. de Rer. Chr. c. 16. an-*  
*Crig. Hom. 7. m.*  
*Leuit. c. 16. an-*  
*Nume. Tertullianus.*  
*lib. de Rer. Chr. c. 16. an-*  
*Cyril. Cypr. Spiritus eſt qui viuificat.* Certe Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Cyrilus Hierosolymitanus, Chrysostomus, Cyrilus Alex-  
*Domini. Cyrr.*  
*Huc. Catech. 16.*  
*Chrysost. hom.*  
*49. in Ioannem.*  
*Cyril. Alex. b. 4. in Ioann. cap. 32. Augusti, in Psal. 38. & 8 verm. 2. de verbi Apoſt.*

Athan. in illat.  
Qui dixerit ver-  
bum in spiritum  
sanctum. Augu-  
stini. lib. 10. de Crat-  
tate Dei. ca. 24.  
Caius. in cap. 6.  
Ivan. 6. 60.  
Ephes. Epist. ad  
Nestorium. Cy-  
rillus. Anatole-  
matismo 2.

quanta

quanta blasphemia id ad Diuinam Christi carnem transfe-  
rant, viderint infelices huius doctrinæ inuentores. Quod  
nunc paucis explicare conabor.

## C X X V I I.

**P**ost celeberrimam illam Petri confessionem, Tu es Chri-  
tus, filius Dei vivi, respondet Christus; Caro, & ſanguis non  
reuelauit tibi: quia nimurum ad cœleſtia, ac quæ naturam ſu-  
perant, ſenſumque excedunt, ſenſus & humana ratio (quam  
per carnem intellexit) non modò non prodeſſt quicquam, ſed  
etiam obeft interdum. Nec alio profectō ſenſu Paulus dicit;  
Animalis homo non percepit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: niſi ve-  
rū indicet, carnalem hominem, qui ſenſu & humana ratione me-  
titur omnia, nunquam ad ea, quæ ſenſus & humanae rationis  
modum captumque excedunt, peruenire poſſe. Contra, idem  
Apostolus, Litera (inquit) occidit, Spiritus autem viuificat: quia  
non carnalis ſenſus, non humanae rationis prudentia, ſed Spiritus  
Sanctus eſt, qui ſupernaturalium mysteriorum docet veram  
intelligentiam. Carnalem igitur ſenſum Capharnitarum, qui  
quòd alium modum manducandi carnem Christi capere non  
poterant, quām viſibilem carnem laniando, & in particulas  
ſciſſam vorando, modum eum reprēhensurus Dominus, quid  
apertius dicere poterat, quām Caro non prodeſſt quicquam, ad  
hæc, ſcilicet, Diuina mysteria capienda? Propterea, inquit, dixi  
vobis, quia nemo potest venire ad me, niſi fuerit illi datum à  
patre meo. Quem ſenſum citati patres omnes amplectuntur.

## C X X V I I I.

**S**ed concedamus Aduersarijs, cum Athanasio & Augustino,  
Scarnem ex ſe nihil prodeſſe: ſed idne de Christi carne, Diui-  
nitati vnta, dicere audebunt? Caluinus certè de eo errore  
Zwinglium grauiflē reprehendit. Quid Ephesinum Con-  
ciliū proferam, quod de eadem blasphemia Nestorium dam-  
nar, & quidem meritò: nam qui, hoc Christi verbum, Caro non  
prodeſſt quicquam, afferit de eiusdem Christi carne intelligi o-  
portere, non ſolum Diuinitati iniurius eſt, ſed totam Christia-  
nam religionem funditus euertit. Quo enim redempti ſumus,

H niſi

nisi carne Christi? Quo Ecclesia fundata, nisi eius sanguine? Quo nutrita, & confirmata, nisi eodem sanguine, & carne Christi? Quid si & hoc etiam illis concedamus? Quid tandem inepti homines contra Ecclesiam concludent, cum etiam Diuinitati vnitam Christi carnem nihil prodesse, obesse plurimum, si indigni, hoc est, sine fide, & pœnitentia suscipiatur, doceat & prædicet Ecclesia?

C X X I X.

**A**T parit istis difficultatē articulus ille Symboli, quo Christum ad dexteram Patris sedere, venturumque in fine mundi ad iudicandum confitemur. Quasi verò promissionem eius de danda carne sua, quomodo eam impleat Christus, sessio ad dexteram Patris impeditat, cum & ibi eum esse posse, & hic esse, ne ipsi quidem Aduersarij negare publicè audeant. At hinc se discessorum Christus affirmat. Fateor: quæro tamen simul, an eundem Christum mentitum putent, quando alibi usque ad seculi consumationem nobiscum mansurum promisit? Cum enim uno in loco dicat, se non mansurum; alibi promittat se mansurum: nisi quidam modus sit, quo nobiscum maneat, & si nul tamen suo modo recedat, alterum horum falsum esse, necessariò fatendum erit. Concedunt illi perliberter, secundum humanitatem discessisse: secundum verò Diuinitatem nobiscum manere Christum. At absurdum in primis est dicere, Christum Apostolis in suo ultimo discessu, tanquam magnum aliquod donum promississe, non discessum se ab eis secundum Diuinitatem, quæ ubique necessariò est, quaque nec recedere potuit, nec accedere.

C X X X.

**S**ed demus Aduersarijs, hoc etiam aliqua ratione dici posse: Illud enim tantummodo volui (quod necessariò concedere debent) ineptam esse consecutionem, Discessit Christus, non manet igitur: nisi intelligent illum, eo modo, quo discessit, non manere. Fateor ergo Christum carnis suæ visibilem præsentiam, quæ se in fine mundi, cum potestate magna, & maiestate, omnibus conspicuum redditurum promisit, discessisse: nego tamen

men quenquam, nisi stupidum, inferre posse ex eo, Ergo Christi caro hic manere non potest, secundum præsentiam inuisibilis. Lucx 24. Hæ sunt verba, ait Christus, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobisum. Quid, quæsio illud est, Cum adhuc essem vobisum? Neque enim tunc, cum eos alloquebatur, poterat non esse cum eis. Aderat nimurum eis vere, præsentia corporali: aberat tamen eo modo, quo anteā eis adesse solebat, dum in carne mortali cum ipsis quotidie versaretur.

C X X X I.

**N**ec profectò minus stultum, quam impium Caluinianum illud est: *Christus ait* (sic enim argumentatur) *Palpate, & videte, quia Spiritus carnis & ossa non habet.* Lucx 24. *Sententia igitur Christi, carnis veritas probatur ex eo, quod palpari possit, & videri. Aufer ergo ista, & caro esse definit.* *Quis autem in Coena, carnem aut videt, aut palpatur?* Equidem non potuit clavis fateri homo ineptus, nihil se, nisi quod oculis videat, manuque palpet, hoc est, nihil omnino credere velle: verbaque Christi omnia, quæ sensuum captum excedunt, peruerenda esse. Nam si rectè ex eo, quod non videtur, nec palpatur, inferre licet; Ergo non est: cum ea, quæ fides Catholica docet, nec palpari possint, nec videri: neque vera esse, neque credenda, non minus rectè concluderemus. Negare igitur oporteret & Deum esse, quia is nec videri potest, nec palpari. Rectè ergo, ut Christus fecit, affirmatiuè concluditur: Palpatur caro, ac videtur: ergo est caro, non spiritus, qui nec palpari, nec videri potest. Negatiuè tamen, quis unquam præter atheum Caluinum intulit: Non palpatur, nec videtur Christi caro: ergo non est. Quod vel ex illa argumentatione eiusdem Christi Domini nostri appareat, quæ ex eo, quia miranda viderunt Iudæi, infert, credere eos debere: cum tamen perperam negantur: Qui non viderunt miracula, eos credere non debere: Cuius consecutionis falsitas vel inde magis appareat, quod Christus ipse contrà beatos eos appellat, qui non viderunt, & crediderunt.

C X X X I I.

**D**Emum illud ultimum est eorum præsidium, *Quod Christus*

H 2

stus

*stus accepit, fuit panis: ergo quod dedit, fuit panis; non igitur corpus ipsius.* Non perhorrescunt impij, inepto iophishmate Christum aperte mendacij arguere. Nam quod Christus ait esse corpus suum, quod tradendum erat pro nobis, ipsi bello hoc argumento, non esse corpus Christi, quod tradendum erat, sed panem, corporis signum, concludunt. Pudere saltem illos debet puerilis prorsus fallacie. Non enim aliter inferunt, dum sic argumentantur, Christus accepit panem naturalem, panem igitur naturalem dedit: quam si ita concluderent, Petrus emit carnes crudas, carnes igitur crudas comedit. An non potuit carnes Petrus emere crudas, coctas tamen in mensa apponere? Cur ergo non licuit Christo, panem accipere naturalem, consecratum tamen, hoc est, factum corpus suum, porrigitur? Quod si licuit, ut inficiari non possunt; quam stulte ergo inferunt ex eo, quod potuit facere, & non facere, necessario non fecisse, immo nec facere potuisse?


### PARS SECUNDA.

Conciliorum vniuersalium, & Sanctorum Patrum auctoritate, ac miraculis editis, presentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia consumatur.

### ASSERTIO CXXXIII.

In Doctrina, que  
diuersis di-  
cuntur. Reperi-  
ta in Vaticano, &  
etiam a Cal-  
ciatore, lib. 4.  
Instit. ca. 17, pa-  
ragraf. 36. & ab  
Oeceso ampl. in  
Dialogo contra  
Naturalismum,  
& a Bogino, h.  
contra Heslinianum.

A M verò, quid in Orbe vniuerso, ad nostra vsque tempora, ea de re fide tenendum, Generalia Concilia, proposuerint, videamus. Ac Nicæna quidem prima Synodus (cuius sententiam ipsi etiam Sacramentarij, in sui erroris defensionem mutilam, adferre solent) *Hinc etiam* (inquit) *in Diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & calicem: sed attollentes mentem, fide intelligamus* (huc vtq; citant Aduersarij, reliqua tacent) *in sacra illa mensa, agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum illius corpus, & sanguinem nos vere sumentes credere, haec esse nostre resurrectionis symbola.* Propter hoc nec multum accipimus, sed parum; vt sciamus, quod non satis tate, sed sanctimo-



*mia sancti simus.* Quæ verba manifestè declarant, Christum non solum esse in cælo, sed etiam in Eucharistia à Sacerdote immolari: Eucharistiam verò, non esse signum corporis, sed ipsum verum Christi corpus. Et in Canone quodam ciudem Concilij: *Peruenit, inquit, ad sanctum Concilium, quod in qui- busdam locis, Presbyteris gratiam communionis Diaconi porrigitur.* *Hoc neque Canon, neque consuetudo tradit, ut ij, qui offerendi Sa- crificij non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi por- rigant.* Vbi quid clarius dici potuit, quam quod porrigitur, esse corpus Christi? Concilium Ephesinum verò sic ait: *Sanctifi- camur, participes preciosi corporis & sanguinis Christi effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, sed sicut Divinam & vinifastricem.* Cyrillus autem, qui illi Concilio præfuit, hoc decretum adeo clare de vera & reali præsentia corporis Christi in Eucharistia accipiendum esse vbiique docet, vt Calvinus, quid responderet, aliud non inveniret, quam Cyrrillum Hyperbolice fuisse locutum. <sup>a</sup> Sexta generalis Synodus, sic habet: *Quicumque de calice sacrato, quo sanguis Christi recipitur, aliud biberit prater Christi sanguinem, deterrendus est exemplo Bal- thasaris, qui profanans va/a sacra, vitam amisit, & regnum. Ve- rius igitur ex calice hauritur sanguis, & taetu sanguinis veri, calix sacer efficitur: Nemo unquam,* inquit Septima Synodus, *Apostolorum, aut Patrum ait, imarinem corporis Christi esse in- cruentum Sacramentum corporis Christi, quod à Sacerdote offertur, sed esse ipsum corpus, & ipsum sanguinem.* Nam is, qui audiuit à patre, ait, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Item, *Accipite, edite, hoc est corpus meum: non autem dixit, Hac est imago corporis mei.* Et paulo infra: *Demen- tia est afferere, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, esse ima- ginem corporis Christi, non corpus.* Item: *Ante consecrationem qui- dem, oblata vocantur Antitypa corporis à Basilio, sed post consecra- tionem, non nisi corpus Domini & vocatur, & esse creditur.* Quid verò expressius dici unquam potuit, quam quod Conci- lium Lateranense omnium maximum (vt pote mille Episco- porum) definiuit: *Sub speciebus panis & vini, corpus & sanguin-*

*Can. 14. vel  
scidom anti ma-  
exemplarum, 19.  
qui Canone reu-  
nuu. ed. i. r. in  
in fine Codicis  
Aratensis.*

*In Epistola ad  
Reformata.*

*a In ultima ad-  
monitione ad  
Vesprialem.  
b Cap. 3.*

*Actione 6.*

*Op. 1.*

H 3 nem

a Sub Nicolao.  
b d' Gregorio 7.  
c Sub Leone 9.  
d Sub Victore 2.  
e S. Petri 8.  
f S. Petri 13. Ca-  
meni.

nem Christi veraciter contineri? Vt omittam interim, breuitatis causa, Concilia Romana duo<sup>a</sup>, item Vercellense<sup>b</sup>, Turense<sup>c</sup>, Constantiense<sup>d</sup>, Florentinum<sup>e</sup>, & Tridentinum<sup>f</sup>.

CXXXIIII.

**H**Anc eandem Catholicam doctrinam, sacri Ecclesiae Doctores, & Patres, omni progreSSIONE temporum, multis ac manifestis literarum monumentis confirmarunt. Atque ut ab ipso Apostolorum tempore ordinar, primus Christi discipulus, & Apostolus Andreas, praecipiente Aegea, vt idolis sacrificaret, respōdit, *Se in altari Omnipotenti Deo quotidie sacrificare agnum, qui cum sacrificatus est, & verē manducatus à populo, tamen integer, & viuis manet.* Iacobus Apostolus, panem Eucharisticum ostendens, Agnum Dei, filium Patris, qui tollit peccata mundi, multatum pro mundi vita, & salute, adorandum proponit: eundemque panem distribui, sed non diuidi, fidelibus dari, sed non consumi docet. *Corpus & sanguinem Christi* (ait Marialis vnu ex 72. Christi Discipulis) *in vitam aeternam offerimus: & quod Iudei per inuidiam immoluerunt, nos causa salutis in ara sanctissimata proponimus.* Item: *Esa corporis Christi, & animas nostras vivere facit, & corpora.* Abdias vero, & ipse Apostolorum discipulus, certamen Matthæi Apostoli describens, ait: *Poss Missam retinuit se, vt iuxta altare, ubi corpus Christi ab eo fuerat cōfectum, illuc Apostolicum Martyrium exultaret.* Ignatius Ioannis discipulus, hoc Sacramentum, modò panem Dei, paneū cœlestem, panem viræ; modò carnem Christi filij Dei viui, qui natus est ex semine David, vnam carnem Domini Iesu, vnum panem totius Ecclesiæ, pro omnibus fractum, modò gloriam Dei, per quam potestates Sathanæ expelluntur, medicamentum immortalitatis, carnem Salvatoris, quæ passa est pro peccatis nostris, appellat. Dionysius Areopagita Pauli discipulus, *Per veneranda mysteria, sancto altari imposita, Christum signari, & sumi, asseuerat: & Pontificem sancta & augustinam mysteria confidere, & venerandis operis signis, reuerenter ostendere, deinde adorare, petendo, vt aperto lucis fulgore, spirituales oculos sui populi implearat.* Clemens Romanus, Petri discipulus, *Post oblatum Sacra-*

mentum,

In Epist. ad Bar-  
degalij. cap. 3.

Cap. 4.

Lib. 7. Historia-  
rum certimatis  
Apostolicis.In Epistola ad  
Rom. Thaladelp.  
Epibeijs, &  
Symmonei, teste  
Thosdor. Diale-  
go 3.De Eccl. off.  
Hieron. lib. 4. cap.  
3. parag. 3.Lib. 2. confessio.  
Apistol. cap. 6. 1.

mentum, singulos Christianos, cum timore & pudore, tanquam ad Regis corpus accedere, & in fragmentis Eucharistie diligentem curam adhibere, admonet. Quæ ex ore Petri iubentis, se accepisse testatur.

CXXV.

**N**ec obscurius secundi seculi Patres sunt locuti. Anacletus enim, qui Sacerdotij ordinem à Sancto Petro accepisse se dicit, *Sacerdotes sacri Dominici corporis tractatores vocat.* Alexander Pontifex *Oblationem, quæ omnes excellit, (quia in Sacrificiis nihil maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi) docet, ab omnibus venerandam esse, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur.* Iustinus Martyr, *Cibum illum, inquit, Eucharistie, qui per precies sermonis, quem à Christo accepimus, consecratus est, ipsius Iesu Christi incarnati carnem & sanguinem esse, sumus edociti.* Quia Apostoli in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Christum dixisse tradiderunt. Thelephorus, *Sacerdotes, proprio ore, Domini corpus confidentes, audiendos, & timendos esse asserit.* Pius Primus, *Si de sanguine Christi aliquid stillauerit in terram, lingua Lambi, & Sacerdotem quadrangularium dierum penitentiam agere iubet.* Irenæus Christum ex creatura panis, & ex calice, per gratiarum actionem, corpus & sanguinem suum fecisse, confitetur: atque ex corporis Christi veritate in hoc Sacramento, contra infideles, incarnationem, & Diuinitatem Christi, & resurrectionem carnis, luculenter probat. Nec aliud hac de re sentit Tertullianus, cum sic scribit: *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vnguitur, vt anima consecretur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Quemadmodum enim illa Sacraenta, quæ primo loco ponit Tertullianus, verè corpus ipsum, & animam attingunt: ita etiam corpus Christi, non animæ tantum, sed ipsius quoque corporis cibus est. Aliis vero locis, panem nostrum Christum appellat: *& infidelibus hoc Sacramentum ostendere, nefas esse reputat, quia panem hunc non qui dicitur, hoc est Christum, sed panem communem esse credunt: denique corpus Christi verum, etiam manibus eorum, qui idola, vt ab alijs adorentur, fabricant, contrectari dicit.*

Epistola 2.

Epistol. 1. quam  
esse Alexander,  
Conc. Tiberinij,  
can. 19. aff. mar.Apologia 1. ad  
Antoninum  
Pnum.

Lib. 4. cap. 32.

Lib. de resurre-  
ctione carnis.Lib. de Oratione  
lib. 2. ad Xxv. rem  
li. de Idolatria,  
& lib. 4. contra  
Marcionem.

Quid

**Q**uid verò tertij seculi Patres, & Doctores senserint, ex plurimis, vel duorum, aut trium testimonium docebit. *Quando dixit, inquit Origenes, pane, & pocali frueris, manducas, & bibas, corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub teatum tuum ingreditur.* Item: *Manna in enigmate cibus erat: nunc autem in specie caro verbi Dei verus est cibus.* Et alio in loco: *Non, ut olim sub Mo'ye, extrahuntur altaria, cruore pecudum aspersa, sed pretioso Christi sanguine ornata.* Cyprianus verò plurimus est in asserta hac veritate: sed breuitatis causa, sat fuerit, vnum aut alterum locum produxisse. Dominus, inquit, usque hodie hoc sanctissimum, & veracissimum suum corpus creat, & sanctificat, & benedit, & pie sumentibus diuidit. Ac paulo inferius: *Quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, & ore polluto sanguinem bibat sacrilegus, Sacerdotibus irascitur.* Et ibidem: *Vis infertur corpori Domini, & plus in Dominum manibus, atque ore delinquent, quam si Dominū negauissent.*

**S**ed & qui quarto seculo floruerunt, Sancti Patres Catholici hanc veritatem, omnes avertisserunt verbis confirmant. Et quidem Hilarius ex instituto probat, Christum non solum spiritualiter, sed carnaliter (eo enim verbo viritur) in nobis manere. Christus ait, *Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus.* De veritate carnis & sanguinis, non est relictus ambigendilocus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. Et post pauca: *Quod in eo, inquit, per Sacramentum communicate carnis, & sanguinis sumus, ipse testatur, dicens: Ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quendam, atque ordinem consumande unitatis exposuit: nisi, ut cum ille in Patre per naturam Divinitatis esset; nos contrà in eo, per corporalem eius natitatem; & ille rursum in nobis, per Sacramentorum inesse mystrium crederetur? Athanasius, *Per quod corpus, inquit, Pontifex & Apostolus fuit, per id nobis tradidit mysterium, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & sanguis nout Testamen-*ti, non

Oratione de fide  
apud Theodore  
tum Dialog. 3.

Lit. 8. de Tri-  
nitate.

*ti, non veteris, qui pro vobis effunditur.* Cyrillus Hierosolymitanus: *Non panem, inquit, iubemur gustare, sed quod sub speciebus panis est, corpus Christi.* Iubet idem fidelibus, quando communiant, sanctificare oculos, cum sancti Corporis contactu, & cauere, ne quid decidat. *Si quid enim, inquit, amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Item: *Cum Christus ipse sic affirmet, Hoc est corpus meum, quis dubitare deinceps audeat?* Ac eodem confirmante, & dicente, *Hic est sanguis meus; quis unquam dubitet, esse illius sanguinem?* Et paulo post: *In specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem.* Sic enim efficimus Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus eius, & sanguinem in membra nostra recipimus. Sic secundum B. Petrum, *Divinae nature confortes reddimur, & (ut idem Cyrillus, paucis interiectis, dicit) Christi concorporei, & consanguinei.* Ephrem verò adhortans Christianum hominem, quomodo accedere debeat ad Eucharistiam: *Esto fidelis, inquit, & innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide plenissima certus, quod agnum ipsum integrè comedis.* Hoc sane excedit omnem admiracionem, & omnem mentem, quod fecit nobis Christus. Ignem, & Spiritum manducandum, ac bibendum praestitit carne vestitis, corpus scilicet, & sanguinem suum. Gregorius etiam Nyssenus, *Panis, ait, qui de calo descendit, non incorporea quadam res est.* Quo enim pacto res incorporeae corpori cibus fit? Res verò, quae incorporeae non est, corpus omnino est. Huius corporis panem, non aratio, non satio, non agricolarum opus effectit. Quid verò hinc euidentius sequitur, quam panem hunc non ex terra ortum, esse non fidei cibum, sed ipsam Christi carnem? De qua alio in loco expressè, ita concludit: *Quamobrem recte nunc Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari.* Nazianzenus item: *Absque confusione, inquit, comedere corpus, & sanguinem bibere, si vita desiderio teneris: neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges.* Quid verò Hesychius, an non dilucidè idem attestatur? *Sancta sanctorum, inquit, sunt propriæ, Christi mysteria, quia ipsius sunt corpus, de quo Gabriel ad virginem dicebat,* *Quod nasceretur ex te, Sanctum vocabitur. Per ignorantiam mysteria perc-*

De natura Do-  
non perscruta-  
da, cap. 1.

In via Moisi.

Serm. Catechesis  
co, de Divinis Sa-  
cramentis.

Oratione in san-  
ctum Pascha.

In cap. 22. Le-  
uitici.

*Liber de Sacra-  
mento, cap. 4.  
§ 5.*

*Liber de Sacra-  
mento, cap. 1.*

*Liber de Sacra-  
mento, cap. 6.  
§ 5.*

*Liber contra  
Donatistas.*

via percipit, qui nescit, quia corpus hoc, & sanguis est Christi, secundum veritatem. Sed inter hos omnes clarissime Ambrocius: Panis iste, inquit, panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane sit caro Christi. Et paulo post: Ergo, tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iam corpus est Christi. Et iterum: Antequam consecratur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et alibi, cum dixisset, Vera caro, (sicut ipse dixit) quam accipimus, & verus est potus, sibiique ipse obiecisset, Forte dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem: Nisi quis manducaverit carnem meam &c. Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem: respondet primò, Iam se dixisse de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare, & conuertere naturam: deinde addit, Christum ideo reliquise similitudinem, seu speciem panis, ne crux species horrorem generaret. Insignis vero admodum, & quam Ecclesiae filius plausibilis, tam ingratus, & luctuosus fidei hostibus est Oprati Mileuitani locus, quo Assertionem hanc concludam. Quid est tam sacrilegum, inquit, quam Altaria Dei, in quibus & vos (Donatistas alloquitur) aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere? Quid enim est Altare, nisi sedes & corporis, & sanguinis Christi? Et non multò post: Quid etsi offenderas Christus, cuius illic, per certa momenta, corpus & sanguis habebat? Iudei intulerunt manus Christo in cruce: à vobis percussus est in Altari.

## C X X V I I I.

*Homil. 60. ad  
popul. Auxiede-  
num. & Homil.  
83. in Matth.*

Nec desunt multi sancti & doctissimi Patres, qui quinto Ecclesiae Christianæ seculo floruerunt, ex quibus tres tantum in medium proferam, quorum auctoritas tantum pondus, & momentum habet, ad realem Christi in Eucharistia presentiam stabilendam, ut illis solis comparatae, omnes Adversarij næniæ, instar sumi euancescant. Ecce Christum, inquit Chrysostomus, quem cupis, manducas: seipsum tibi tradit, ut tangas, & intrate habeas. Non sufficit ipsi hominem fieri, & crucifigi, verum etiam nobis seipsum miscuit, neque id fidei solum, sed etiam re ipsa.

*re ipsa. Quos radios solares non deberet exceedere manus illa, que hanc carnem pertrahat: os, quod igne spirituali impletur: lingua, que cruentatur hoc admirabili sanguine? Et alibi: O miraculum, o Dei benignitatem. Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso tempore Lib. 3. de Sa-  
cra-  
ris articulo, hominum manibus pertrahatur. Et in illa verba, Ca-  
terdario.  
i. Cor. 10.*

*Homil. de pro-  
ditione Iudea.*

*Ad Euiliam  
quæst. 2.*

*In cap. 11.  
Osee.*

*Psal. 145.*

*Liber 4. Institut.  
ca. 17. par. 28.*

*Liber 11. contra  
Faust. cap. 10.*

*Super Psal. 33.*

*Ibidem.*

re ipsa. Quos radios solares non deberet exceedere manus illa, que hanc carnem pertrahat: os, quod igne spirituali impletur: lingua, que cruentatur hoc admirabili sanguine? Et alibi: O miraculum, o Dei benignitatem. Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso tempore Lib. 3. de Sa- crais articulo, hominum manibus pertrahatur. Et in illa verba, Cat- erdario. i. Cor. 10. Cui benedicimus, nonne communicatio &c. Horum verborum, ait, huiusmodi est sententia: In calice, id est, quod de latere Christi profluxit. Demum (ut alia quam plurima eius loca omittam) Presens, inquit, Iudas erat, Christo dicente, Hic est sanguis meus. Dic Iuda, hicne est sanguis, de quo ante cum Pharisæis pacta fecisti? Iudas trizinta denarius pacificatur, ut Christum vendat: & Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat. Quid vero Hieronymus? An non satis aperte Catholicam hanc veritatem asseruisse videtur? Nos andiamus, inquit, panem quem frangit Dominus, esse corpus Domini: ipso dicente ad Apostolos, Hoc est corpus meum, & calicem illum esse, de quo locutus est, Hic est sanguis meus. Et paulo post: Ipse est coniuua, & conutuum, ipse comedens, & qui comeditur, illius bibimus sanguinem &c. Et super illa verba Osee, Ego quasi nutritius Ephraim, post multa commemora- ta beneficia Dei, hoc etiam inter cætera numerat: Declinans, inquit, ad eos, deserens regna calorum, ut cum eis vescerer, dedi esum corporis mei, ipse cibus, & conutuum. Et super illud Psal- mi, Dat escam esurientibus, haec verba orationis Dominicæ inducens, Panem nostrum quotidianum &c. Putet, inquit, ali- quis, quod panem dicat de mysterijs; & hoc quidem accipimus, quia vera caro Christi est. Quis vero Augustino inter omnes Patres, in hoc fidei articulo explicando clarius est, & frequentior? Quem tamen Caluinus impudenter totum suum esse, iactita- re non veretur. Ponderemus ergo illius verba, ut palam omnibus perfidi hominis mendacia innotescant. Fideles, inquit Doctor sanctissimus, in Sacramento eundem sanguinem bibunt, quo redempti sunt. Accesserunt Iudei ad Christum, ut crucifige- rent: nos ad eum accedamus, ut corpus, & sanguinem eius accepta- mus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur. Attende fratres, vere magnus Domi- nus &c.

In Psalm. 65.

nus &c. qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta per-  
pessus est. Fūsus Domini sanguis datus est homicidis, ne dicam, Dei-  
cidus: & ipsum sanguinē, quem per infamiam fuderunt, per gratiam  
biberunt. Sanguis pro infantibus fūsus, priusquam funderetur, in  
Sacramento datus est, dicente Domino, Hic est sanguis meus. His,  
qui cruciferunt Christum, donatus est sanguis Christi: laet eis  
ipse, cūtis sanguinē fuderunt. Fuderunt precium suum, & biberunt  
precium suum. Christus in ipsa carne, quam de carne Marie accepit,  
hic ambulauit: & ipsam carnem nobis manducandam dedit. Finis  
citandi propè non esset, si omnia eius loca essent producenda,  
in quibus Catholicam hanc doctrinam de Eucharistia profite-  
tur. Qui tamen plura desiderat, videat librum eius 2. contra  
Aduer. legis, & Prophetarum, cap. 9. vbi docet, *Nos per hoc  
Sacramentum non tantum unum effici spiritu cum Christo, sed  
etiam unum carne, iuxta illud Pauli ad Ephefios, Membra sum-  
mus corporis eius, &c.* Quod idem repetit in Psalmum 39. Le-  
git eundem lib. 3. de Trinit. cap. 10. vbi ait, *Pueros etiam agno-  
scere, id, quod ponitur in altari, esse carnem, qua apparuit Christus  
mortalis, & sanguinem, qui fluxit ex latere eius perfosto.* Et Epi-  
stolam 86. vbi afferit, *Pecus antique legis, non cessisse pani, sed  
corpori Agni immaculati.* Denique, quæ habet lib. 2. de pecca-  
torum meritis, & remiss. cap. 26. & in Psalm. 100. & Tract. 27.  
& 31. in Ioannem. Serm. 11. de Sanctis, & 4. de Innocentibus.  
Serm. 2. & 215. de Tempore. Epistola 116. ad Ianuarium. &  
libro 50. Homiliarum, Homil. 26. In quibus locis plurima id  
genus sunt, quæ realem præsentia corporis, & sanguinis Christi  
in Eucharistia expresse docent: quæ tamen omnia, breui-  
tatis studio, omittenda censui: si paucis illis, sed apertissimis  
eius verbis hanc partem conclusero, quibus illud primi Regum 21. explicat: Ferebatur manibus suis. *Hoc quomodo, in-  
quit, fieri posset in homine, quis intelligat?* Manibus aliorum por-  
tatur homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo ergo in David  
intelligatur secundum literam, non inuenimus: in Christo autem  
inuenimus. Ferebatur enim Christus manibus suis, quando com-  
mendans ipsum corpus suum, ait, *Hoc est corpus meum.* Ferebat  
enim

De peccato, mer.  
& remiss. lib. 1.  
cap. 24.

In Psalm. 93.

In Tp. 1. 9. 8.

Iphes. 5.

Concion. 1. in  
titulum  
Psalm. 33.

enim illud in manibus suis. Ipsa est humilitas Domini nostri Ie-  
su Christi. C X X X I X.

Vpereft iam, vt miraculis præsentiam corporis & sanguinis  
Christi in Eucharistia confirmemus, quæ innumera prope-  
modum, eaque illustria ab initio nascentis Ecclesiæ, ad nostra  
vsque tempora edita sunt: ex quibus ego paucula tantum hic  
delibare potius, quām recensere constitui. An enim quisquam  
nudæ ac limpici panis hypostasi ascriperit, ac nō potius Christi  
in Eucharistia præsentiaz, cūm in manibus Basili Magni,  
<sup>Amphilochius  
in vita Basili.</sup> Lib. 8. Histor.  
Eccles. cap. 5.

legat eundem lib. 3. de Trinit. cap. 10. vbi ait, *Pueros etiam agno-  
scere, id, quod ponitur in altari, esse carnem, qua apparuit Christus  
mortalis, & sanguinem, qui fluxit ex latere eius perfosto.* Et Epi-  
stolam 86. vbi afferit, *Pecus antique legis, non cessisse pani, sed  
corpori Agni immaculati.* Denique, quæ habet lib. 2. de pecca-  
torum meritis, & remiss. cap. 26. & in Psalm. 100. & Tract. 27.  
& 31. in Ioannem. Serm. 11. de Sanctis, & 4. de Innocentibus.  
Serm. 2. & 215. de Tempore. Epistola 116. ad Ianuarium. &  
libro 50. Homiliarum, Homil. 26. In quibus locis plurima id  
genus sunt, quæ realem præsentia corporis, & sanguinis Christi  
in Eucharistia expresse docent: quæ tamen omnia, breui-  
tatis studio, omittenda censui: si paucis illis, sed apertissimis  
eius verbis hanc partem conclusero, quibus illud primi Regum 21. explicat: Ferebatur manibus suis. *Hoc quomodo, in-  
quit, fieri posset in homine, quis intelligat?* Manibus aliorum por-  
tatur homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo ergo in David  
intelligatur secundum literam, non inuenimus: in Christo autem  
inuenimus. Ferebatur enim Christus manibus suis, quando com-  
mendans ipsum corpus suum, ait, *Hoc est corpus meum.* Ferebat  
enim

Lib. 17. ca. 25.

Serm. 5. da  
lapſi.In Oratione fu-  
neri, de obitu  
fratris.Lib. 2. contra  
Donatistos.

I 3 starum

starum Episcopis canibus proiecta, canes Diuinavltione in rabiem actos, eisdem dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice laniasse. Palladius ait, Heronem virum sanctum sola Eucharistia, absq; alio cibo, ita sustentatum fuisse, ut non nisi tertio quoque mensie elapsio, terrenis alimentis opus haberet: & Ioannem Anachoretam tres annos integrum nihil comedisse, sola sacra Eucharistia contentum, quam diebus Dominicis accipiebat. Gregorius Nazianzenus sacerdotem suam Gorgoniam affirmat, cum ad altare, ubi affluerabatur Eucharistia, capite inclinato procumberet, & cum lachrymis oraret, ab infirmitate conualuisse. Nec dissimile est, quod de magno illo Simeone Stilita scribit Theodoreus, quod cum a Basilio Presbytero, nimio iejunio debilitatus, animam agere repertus esset, iamque nec loqui posset, accepit Eucharistia, mox conualuerit, firmusque surrexit. Narrat & Bernardus Clericum quandam, qui negavit veritatem corporis Christi in Eucharistia, à Malachia excommunicatum resipuisse quidem, sed repente fuisse mortuum: & Gregorius, ab Agapeto Romano Pontifice porrecta sacra Eucharistia, cuidam muto redditam loquelani: & Chrysostomus, diuino cuidam seni concessum fuisse, ut oculis conspicaretur Angelorum multitudinem, Christo in Eucharistia capita inclinantium. Verum longiori narratione supercedendum video. Qui plura miracula desiderat, legat D. Augustinum ad Marcellinum, lib. 22. ca. 8. Gregorium lib. 2. Dialog. cap. 41. & lib. 4. cap. 57. & Homil. 37. in Euang. Chrysost. in Oratione de S. Babilia. Prosperum lib. 4. Prædict. cap. 6. & libro, qui inscribitur, Dimidium temporis, cap. 7. Euseb. Cæsar. lib. 6. Historiæ, cap. 34. Euagrium lib. 4. cap. 35. Niceph. lib. 13. Hist. Ecclesiast. cap. 7. Paschas. lib. De corpore, & sanguine Christi, cap. 40. & sequentibus. Guilmundum lib. 3. Algerum lib. 1. ca. 13. Rupertum Tuitensem, lib. de incendio oppidi Tuitensis, ca. 3. 4. & 5. VValdensem lib. contra VVicelsum. Bedam lib. 4. Histor. gentis suæ, ca. 22. Albertum Crantzum lib. 1. Hist. ca. 9. Surium, in Comment. rerum in orbe gestarum, anno 1556. Stupenda sanè est virtus

*In vita virum.**In Oratione fabr. ea.**In vita eiusdem.**In vita Malachiæ.**Lit. 3. Dialog. cap. 3.**Lit. 6. de Sacerdotio.*

virtus horum, & plurimorum id genus miraculorum. Quorum pleraque eiusmodi sunt, ut in confirmationem Catholicæ veritatis, de credenda reali Christi in Eucharistia præsentia, edita sint: alia ita exhibita à Deo, ut si Christum in Eucharistia verè & realiter esse negent, concedere cogantur Aduersarij, Deum ad peccatum idolatriæ induxisse homines, aut certe in eo maximè confirmasse. Quod asserere cum impium, & blasphemum sit, panem Eucharisticum, non panem, sed Christum esse, vere in carne, & Diuinitate sua ibi præsentem, vel inuiti fateantur necesse est.

## P A R S T E R T I A.

*Probatur eadem Catholica veritas, ex ritibus & consuetudinibus primitivæ Ecclesiæ.*

## A S S E R T I O C X X X .

V N C ex Ecclesiæ primitivæ ritibus eandem Christi veram, & realem præsentiam in Eucharistia confirmemus. Principio, An non execrandia idolatria est, panem pro Deo adorare? At Eucharistiam iam inde ab Apostolorum temporibus, ab Ecclesiæ vniuersa Diuinis honoribus affectam esse, suo loco, cum de adoratione agemus, fuse ostensuri sumus. Nunc id, vel orationes illæ, quibus tam sacerdos, quam populus Eucharistiam inuocârunt, primis illis quingentis annis, attestentur. Floruitne, obsecro, Chrysostomus ante 1000. annos? Non negabunt credo. At is de Eucharistia sic *In sua Liturgia.* loquitur: *Pontifex exaltans panem sanctum ait; Sancta sanctis. Deinde in genua prouoluti adorant Sacerdos, & Diaconus, dicentes: Deus propius esto mihi peccatori: quos sequitur populus.* Quid vero illo antiquior Basilius? An non eadem ferè verba, orationes præterea eas, quibus Eucharistia tam antè, quam post eleuationem inuocabatur à sacerdote, & populo, Apostolica traditione, ad nos deriuatas affirmat? Ex quibus hæc vna est: *Respicce Domine spiritu sancto cap. 25. Iesu*

*Iesu Christe, qui suprà cum patre sedes, & hic visibiliter nobiscum es &c. Sed vt rem altius repetamus. Origenes Apostolorum temporibus vicinus, suscepturns coenam Domini Christianis, in more fuisse affirmat, Eucharistiam his verbis excipere: *Dominus non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* &c. Quem morum usque in hodiernam diem seruat Ecclesia. Certe Areopagita, qui Paulum sepe sacram Coenam celebrantem vidit, *Sacrificat, inquit, Pontifex Diuinissima, & in sublime ante oculos ponit, eadem ab eo laudata dona prorsus Diuina ostendens.* An Apostolos requirunt? At omnia iam dicta, ab ipsorum institutione fluxisse, demonstrat Iacobi Liturgia. Ea enim, quam cæteri per partes narrant, iste complexus est omnia. *Cum peruenitur (inquit) ad communionem, dicat sacerdos, cum timore in altum tollens donum: Sancte, Sancte, qui in sanctis requiescitis, Domine sanctifica nos: & populus respondeat, unus Sanctus, unus Dominus, unus Christus benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis.**

## C X L .

**Q**uod si non est corpus Christi in Eucharistia, sed merus panis; cur quæso tam grauem pœnam Concilium Ilerdense, anno 500. celebratum, imponit Clerico, corpus Christi dispensanti, vel vasa officio deputata contrectanti, qui non abstinerit ab omni sanguine humano, & hostili, vt duobus annis officio & communione priuatus, vigiliis, ieuniis, & orationibus pœnitentiat? Cur idem facit Pius primus Pontifex, & Martyr, & Concilium Arelatense, Toletanum tertium, Matisconense secundum; quæ ante annos 1000. vt minimum sunt celebrata? Cur tantopere affligebantur olim Christiani (vt Tertullianus refert) si vel mica decuteretur in terram consecrati panis? Cur cum tanto timore & tremore, Clemens Romanus (iussu, vt ipse testatur, S. Petri) reliquias vel minimas Consecratorum iubet custodiri, grauique anathemate feriri eum, cuius negligentia aliquid earum, vel in terram caderet, vel minus decenter tractaretur? Cur doctissimus Origenes scribit: *Nostis qui Diuinis mysterijs interesse consueisti, quomodo, cum suscipitis corpus Domini,*

*Homil. 6. in diuersa loca Euang.*

*Lib. Eccl. His-  
tar. cap. 2.*

*cap. 1.*

*Pius primus ca.  
3. suorum Decre-  
torum apud Bur-  
chard. lib. 5. cap.  
47. Consil. Arela-  
tense, apud  
Grati. de Confe-  
re. 2. cap. 2. Qui  
bene Conc. Tolet.  
3. Can. 1. Con-  
cil. Matiicon.  
2. Can. 6.  
a Lib. de Cere-  
mone milie.  
b Epist. 2.  
c Homil. 13. in  
Exodus.*

mini, cum omni cautela & reverentia seruatis, ne ex eo parum quid decidat, vel consecrati munera aliquid delabatur? Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Nec multò post hunc, Cyrus Hierosolymitanus: *Accedens ad communionem (inquit) finisram veluti sedem quandam subijcas dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi.* Ne cadat autem aliqua mica, diligenter prouideas: & cum adhuc est in ore tuo, manibus attingas, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Cur Augustinus *Quanta sollicitudine (inquit) obseruanus, quando nobis corpus Christi ministratur, vi nihil de nostris manibus ex ipso in terram cadat?* Cur Chrysostomus tam acerbè conqueritur, quod per tumultum, in militum vestes sanctissimus Christi sanguis effusus sit? Quod facit etiam ob similem causam, <sup>a</sup> Athanasius, & Victor Uticensis.

## C X L I .

**C**ur tandem non Sacramentum modò ipsum, sed & vasa, quibus ministratur, in tanto honore habita sunt, vt non nisi sacratis ministris, ea liceret attingere? Quod non modò <sup>b</sup> Sixtus primus, qui ante 1400. annos vixit, & non multò post eum Stephanus primus Papa, & Martyr, sed & Apostoli ipsi præceperunt. <sup>c</sup> Cur verò Athanasius in iudicium, tanquam sacrilegus vocatur, quod calicem constringi iussit? Cur <sup>d</sup> Nazianzenus & Optatus ferè iisdem verbis exclamat: *Facinus geminatum est, dum fregisti calicem Dominicis sanguinis portatorem. O facinus nefarium, scelus inauditus!* Cur <sup>e</sup> Chrysostomus, *Auderet quisquam, inquit, sacris vasis ad aliam rem uti?* Et alibi: *Ausus est Julianus impuris manibus sacra attingere, & subito secuta est Diuina uultio.* Quid sibi vult illud Hieronymi: *Discant qui ignorant, erudititate testimonio, quam astate sacri calices, & velamissa sint collenda?* Et illud ibidem: *Templa, altaria, vespes, calices, & id genitus alia, propter consortiam corporis Domini, magna veneratione coluntur.* Quid illud Prudentij, verba <sup>f</sup> Gentilis Praefecti referentis, quem sacris Christianorum exprobrantem inducit:

*Argenteis scyphis, ferunt,  
Fumare sacrum sanguinem,*

K

*Auroq;*

*Catechesi 8.  
Mythagoras.*

*Lil. 50 Homil.  
Homil. 26.*

*a Epist. 1. ad Innocentium Papam, que extat apud Nicephor. lib. 13. cap. 19.  
b Athanasius in vita Anthemij. Villor. li. 1. persecutionis Vandalica, ca. 30.*

*c Sextus Epift.  
2. Stephanus Epift. 1.  
Clemens lib. 8.  
conf. Apostol.  
cap. 27.*

*\*Socrates lib. 7.  
Hist. cap. 10.  
Athani. in Apolo-  
g. 2. & in Epis-  
tola Cœ. Alex-  
andri. ubi hac hi-  
storia narratur.  
a Nazian. Orati-  
onem de Ariani.  
Optatus lib. 6.  
contra Donatist.  
b Homil. 4. in  
Epist. ad Ephes.  
c In Oratione de  
S. Babila. vide  
Saram. ls. 5. cap.  
7. & Theod. li. 3.  
cap. 1. & 13.  
d In Epistola ad  
Theophil. Ale-  
xandrinum.  
e In vita S.  
Laurencij.*

*Auroq; nocturnis sacris  
Adflare fixos cereos.*

*Siricius Epistol.  
ad. Amer. cap. 7.  
Hier. lib. contra  
Ieronimum.  
Ambros. in 1. ad  
Timoth. cap. 3.*  
Denique, quam aliam ob causam Siricius, & eius æquales, Hieronymus, & Ambrosius tradunt, Ipsam Sacerdotum, ministrorumq; sanæficationem, inunctionem, castitatem, ac totius vite sanctitatem instituta, & mandata esse, quam ut sancte tractent sanctissima Sacra menta?

## CXLIII.

**Q**uam verò indubitata semper antiquitùs fuerit realis Christi in Eucharistia præsentia, vel ex eo colligitur, quod in primitiua Ecclesia exigebatur, à suscepturnis sacram Synaxin, professio veræ præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia? Moris siquidem erat, dum Sacerdos Sacramentum porrigeret, vt ad priorem speciem diceret, *Corpus Christi*: & Diaconus ad posteriorem speciem, *Sanguis Christi, calix vite*: & vtrobique à communicaturis responderetur, *Amen*. Quapropter Leo primus Pontifex ita scribit: *Dicente Domino. Nisi manducaueritis carnem &c. sic sacre mensa communicare debetis, vt nihil prouersus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod dicitur, disputatur*. Et Ambrosius: *Non ergo ociosè tu dicas, Amen, iam in spiritu conjitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi: & tu dicas, Amen, hoc est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus*. Idē Cyrilus Hierosolymitanus, & Clemens Romanus testatur.

## CXLIV.

**S**ed vt longè grauissima ratione hæc veritas confirmetur, si Eucharistia est tantum symbolicum corpus, non differt à pane benedicto, qui Catechumenis olim dabatur: sic enim vtrumque nihil esset nisi panis, vtrumque symbolum tantum Christi corporis, vtrumq; in memoriam passionis Christi sumeretur, & in vtriusque sumptione se Christus in corda manducantium cum fide symbola infunderet. Quare nullum omnino inter illa dari posset discrimin. Cur ergo per Conciliorum, & Patrum

primi-

primitiæ Ecclesiæ Decreta, non solùm à susceptione Eucharistia arcebantur: sed & ne oculis Eucharistiam aspicerent Catechumeni, tam seuerè cauebatur? *Nesciunt* (inquit Augustinus) *Catechumeni, quid comedant Christiani*. Et alibi: *Sacramentum altaris fidelibus notum*. Item: *Nōrunt fideles, quid accipient*. Et alio in loco: *Si non intelligunt Catechumeni, festinent ad notitiam, non enim opas est mysteria promere*. Denique negat Catechumenos accipere corpus Christi; *Non accipiunt, inquit, Eucharistiam, sed panem benedictum, qui corpus Christi non est, sed panis sanctificatus*. De quo alibi dicit: *Etsi Catechumenis Sacra menta fidelium non producuntur, non ideo sit, quod ea ferre non possunt, sed vt ab eis tanto ardenter concupiscantur, quanto honorabilius occultantur*. Quod idem expresse affirmat libro 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 20. & Tract. II. in Ioannem, vbi ait: *Corpus Christi est Manna absconditum à Catechumenis, quia Iesus adhuc non se credit illis*. Et lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. dicens: *Quod accipiunt Catechumeni, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quam cibi, quibus alimur*. Idem affirunt, Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 23. & Paulinus Epist. 3. ad Alipium: *vbi ἡλογία vocat eum panem, qui loco Eucharistie Catechumenis porrigebatur*. Quare nec Missæ sacrificio, nisi ad Offertorium usque, Catechumeni interesse permittebantur: quod cùm peruentum esset, protinus per Diaconum templo exire iubebantur: vt Concilium Carthaginense 4. Dionysius Areopagita, & Gregorius Magnus referunt. Quæ causa fuit, vt ea Missæ pars cui interesse licebat Catechumenis, Missa Catechumenorum vocaretur.

*Council. Laudien.  
can. 14. Canal.  
Carthag. 4. can.  
84. Conc. Alex-  
and. apud Athar-  
na. Apell. 2.  
Clement. lib. 2.  
Conc. cap. 15.  
Areop. ca. 3. Ec-  
cles. Hier. Tert.  
lib. de pecc. ad-  
uersus hereticos.  
Basil. lib. de Spir-  
itu Sancto. ca. 27.  
Cyril. Alexand.  
lib. 12. in Ioann.  
cap. 50. Chrysost.  
Homilia 17. in  
Matth. Epiph.  
Heresi 42. Hiero-  
nym. in cap. 6.  
ad Gal. August.  
Tract. II. in Io-  
ann. Serm. 4. 6. de  
Tempore lib. 10.  
de cuit. Dei. cap.  
6. In Psal. 39.  
lib. 50. hom. 42.  
In Psal. 109. &  
lib. 2. de pecc.  
mer. & remiss.  
cap. 26. Tractat.  
96. in Ioannem.*

*Council. Carthag.  
4. cap. 84. Areo-  
pag. ca. 3. Eccl.  
Hierar. Gregor.  
lib. 2. Dialog.  
cap. 23.*

## C A P V T Q V A R T V M.

Confutata mandatione spirituali, seu imaginaria  
Sacramentariorum, Catholica, spiritualis simul,  
& realis, probatur, & explicatur.

## P A R S P R I M A.

*Mandationem spiritualē, seu supernaturālē, aut verius imaginariam  
carnis Christi in cālo, quam iactant Sacramentarij, prēter vocabu-  
lum continere planē nihil, sed speci fūm tantum, ad indo-  
ctos decipiendos, esse commentum.*

## A S S E R T I O C X L V.

**N**on panem corporis Christi symbolum tantum, sed verissimum eius corpus ( illud scilicet , quod natum de virgine, in cruce pependit ) non cogitatione sola , sed verē etiam , & realiter se in Eucharistia manducare? Caluinistas non pudet non modō in congressibus & concionibus, sed Catechismis, & libris editis, ita assueranter docere, & iactitare, vt id inficiari neminem posse assuererent, qui simul Christum apertē mentitū esse, fateri non cogatur. Sed qua fide id doceant; qua fraude imperitis imponant, & pro Christi corpore , panis frustum obtrudant, intelliget is, qui animaduertet , Sacramentarios hoc vno esse Sacramentarios, quod Christi corpus extra cālum non esse affirment. Quare ministrum quidē solum panem & vinum porrigere, tam certō cōuenit inter eos omnes, vt Volanus quidam blasphemē affirmet, de ratione Sacramēti cōnē tantummodō esse, comedere, & bibere. Quare, si res postulet, haustu ceruīs, aut potus cuiuscunque consueti, aut cuiusvis cibi comestione, non minus integrum, & perfectum cōnē Dominicæ Sacramētum constare, quām si in pane, & vino conficeretur. *Siquis, inquit, vinum gustare nequit, cō'uetu suo utatur potu: neque enim*

*Caluinus lib. 4.  
Inff. cap. 18. pa-  
ragr. 3. & in  
Hebreum.  
Volan. lib. 1. con-  
tra 7. Colum.  
pag. 7. & lib. 4.  
pag. 172.*

*Lib. 1. contra 7.  
Colum. pag. 4.  
4. & 11.*

*Teg. 12.*

*Volan. lib. 3. con-  
tra 7. Colum.  
pag. 7. 14. 20.  
& 131.*

enim in hac sacra actione, tam spectatur panis & vinum, quam ci-  
bus & potus. Vt autem simplici plebi Volanus imponat, corpus  
ipsum Christi verum in Cōna , non figurari tantum , sed verē  
apponi , & realiter exhiberi , suis persuadere conatur. Nihilominus tamen quasi sui oblitus , eodem ipso libro , non modō,  
Christi verissimum corpus, verē realiter exhiberi, aut apponi in  
Cōna , (quod paulo ante affirmauerat) negat, sed vanā & fal-  
laciē proclamat opinionem, quāe corporis Christi prēsentiam  
in sacra Cōna astruit. Quid ita Volane? *Quia, inquit, Christi  
corpus extra cālum non est.* Quo ergo modo, qui in terra degūt,  
non cogitatione tantum, ( vt fit, cum somniat quispiam se co-  
medere) sed reuera & realiter, Christi carnem, in cālo existen-  
tem , comedunt, eaquē nutriuntur ? Responder, Carnem qui-  
dem Christi, tantum mente & cogitatione, non verē & realiter  
comedi, attamen ex ea Christi carne succum expressum ad nos  
manare, quo & corpora, & animi nostri perfundantur. Sic enim  
scribit: *Ita verō sola anima, per fidem, corpore Christi vescitur, vt  
immortalis, ac celestis vita succus, non minus in animam, quam in  
corpus ipsum, ex carne Christi vinifica defluat.* Et iterum : *Inde  
Christi potētia eluescit illustrius, quod cūm carnem suam in cālum  
subduxerit, sic tamē illam omnibus suis fidelibus communicat, vt non  
minus vite celestis, & plenē immortalis succum ex illa percipiamus,*  
*quam sol hic visibilis cuncta radiis suis illustrat.* Sed quæsote, Vo-  
lane , quomodo cūm tantum succi , per tot secula, quotidie ex  
tam paruo corpore exprimatur, consumptum iam pridem non  
sit totum corpus? An non Christus se nobis dare, quod pro no-  
bis tradendum erat corpus , & sanguinem, qui pro nobis effun-  
dendus , affirmauit ? At certē succus non est traditus pro nobis,  
sed corpus : nec succus effusus pro nobis, in remissionem pec-  
catorum , sed sanguis.

## C X L V I.

**V**tinam verō , quando carnem Christi fidelibus in Eucha-  
ristia aufert, vel hunc succum pro carne ( quo , vt ipse ait,  
non minus corpora, quam animi perfunduntur ) Volanus diu con-  
cederet: sed is quasi à mente deiectus, suiq; prorsus oblitus, se-

*Lib. 1. contra 7.  
Colum. pag. 4.*

K 3 cum

*Liber 1. pag. 2. &c. 4.*  
cum eodem libro pugnās, nec carnem Christi, nec succum, neque méte, neque corpore fideles verius suscipere afferit, quām si caro Christi nusquam extaret. Quare non plus nos manducare vult Christi carnem, quām Patres veteris Testamēti eandem comedērunt, cūm nondum esset à filio Dei assumpta, nec in rerum natura extaret. Adeò non pudet veteratorem istum, non plebejs tantum, sed Principibus viris verba dare, dum ait, eis se verè exhibere Christum, & verè ac realiter eos comedere Christi carnem. An potest res esse verè, antequam sit: aut verè ac realiter comedi, quod non est? Si ergo caro Christi non aliter à nobis comeditur, quām per fidem, vt ab Israelitis olim comedebatur, dum eadem Christi caro in rebus nō esset: quomodo realiter nobis in Cœna apponitur? Quomodo nō imaginaria tantum comeditione manducatur?

## CXLVII.

*Liber 1. pag. 17.*  
*Liber 4. pag. 154.*  
**N**eque hīc hominis dementia consistere potuit, vt vel hanc imaginariam manductionem (qua non verius Christi caro comeditur, quām si nunquam extisset) suis relinquēret. Ulterius progressa est impietas Volani. Non enim de corpore, quod pependit in cruce, comedēdo, vt ex eo nutriamur, sed de corpore mystico, (hoc est, vnitate sanctorum) cui vniri debemus, vt simus membra de membris eius, Christum locutum affirmat, cūm Cœnam instituit. In coena itaq. non plus, quām in Baptismo comedi Christi carnē, constanter docet. Sic enim scribit: *Baptisma non minùs nos Christi participes facit, quām Sacramentum cœnae Dominicæ.* Quia nimis utrobique vnimur mystico Christi corpori. At Christi naturali, & vero corpori in neutro Sacramēto vnimur. Quare inaducare Christi carnem, nihil aliud esse, quām manere in Christo, hoc est, Christi mystico corpori incorporari, dicit. An apertius Scripturæ repugnare Volanus potuit? Nam cūm aperte iubeat nos Christus comedere in coena corpus, quod traditum fuit pro nobis: iste, quia in Baptismo Christi corpori mystico vnimur, non minùs comedi corpus Christi in Baptismo, quām in coena docere audit: & vt impietatem magis prodat suam, comedere corpus, quod

quod traditum est, exponit, idem esse, quod manere in corpore Christi mystico.

## CXLVIII.

**A**clice: maior impietas excogitari non posse videatur, vltiorem tamen gradum excogitauit Volanus. Constanter enim docet: *Non tantum cœna Domini, aut Baptismi Sacramento esse tribuendum, vt corporis illius mystici nos faciant esse particeps: sed Christianorum filios omnes iam incorporatos Christo nasci, in Baptismo vero, & Cœna, Deum solummodo testari, quod facti ipsum non paeniteat.* Atque hæc est carnis Christi, qua pependit in cruce, & sanguinis, qui in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, realis & vera Zuingliana comedio, & bibitio. Quam si, male sibi conscius Volanus, non aduerteret, in medio vtique Ecclesiæ aperiret os suum, (vt ait Scriptura) non in angulis; nec eorum, qui eius impietatem arguere, & præstigias detegere possunt, turpiter congressum declinaret.

## CXLIX.

**I**Am, vt hanc tam multipliciter secum pugnatam doctrinam (qua verum Christi corpus, quod passum est, & non verum, sed eius symbolum; verè in Cœna esse, & non esse; verè & proprie, & nec verè, nec proprie, sed metaphoricè tantum manducari afferunt) defendant: miseris hominibus nescio quibus vocabulorum portentis, quæ nec qui audiunt, nec qui docent ipsi intelligunt, sicut faciunt. Hinc duplicem excogitarunt Cœnam, quarum alteram in terris, alteram in cælis fieri iactant; duplex item Christi corpus somniant, vnum naturale, alterum symbolicum; & duplicem manductionem, alteram veram & propriam, figuratam & spiritualem alteram: quibus monstrosis vocabulorum præstigiis, & distinctionibus, mille secum pugnantia dogmata pro Euangelio obtrudunt imperitis. Etenim quando verè corpus Christi ore corporis manducandum esse, Scripturis conuincuntur; comedendum quidem Christi corpus, verū non naturale, sed symbolicum panem, & vinum respondent. Quando verò contrà, non symbolicum corpus, sed ipsum quod passum est, manducari à nobis, ex Christi præcepto,

*Volan. lib. 1. cœna 7. col. pag. 8.  
& lib. 1. pag. 154.  
Et brev. lib. 1. de re Sacramenta-  
ria. Et cœla-  
li. de Confessione  
cum Ministris  
Figurina.*

*Ecclesi. 15.*

cepto, debete demonstratur; ipsum corpus, quod passum est, comedendum esse, sed spirituali mandatione, in cælo, non ista, quæ fit ore corporis, cauillantur. Eadem ratione, si cogantur, iuxta suam doctrinam fateri, Christum toto cælo à Cœna abesse; de ea, quæ fit in terra, intelligendos se esse aiunt. At si adesse in Cœna, confiteri coguntur, ad illam nescio quam imaginariam, & cælestem configunt.

## C. L.

**T**andem triplicem quandam aliam comeditionem excogitarentur: naturalem, qua ore corporis panis & vinum: supernaturalem, qua mente Christi verum corpus; Sacramentalem, qua in remissionem peccatorum Cœna comeditur. Primam illam naturalem mandationem, qua panem & vinum illud esse fatentur, quod Christus porrexit, & minister porrigit comedendum, non modò Scripturis repugnare, sed planè mendax reddere verbum Christi, afferentis illud non panem, sed corpus suum esse, (nisi ad Metonymias recurrit) & nos superiore Cap. ostendimus, & ipsi sponte fatetur. Metonymias etiam non minus mendacij Christum arguere, ibidem demonstrauimus. Alteram porrò illam comeditionem, qua se verum Christi corpus fide, Spiritu, & mente, verè comedere, imperiti putant, sic excutere est animus, vt prorsus insomnium esse talē comeditionem, luce clariùs probemus: quo talis Magistri discipuli infelices, se Christi carne omnino priuatos esse intelligent.

## C. L. I.

*Calvin. lib. de ratione inennde con-*  
*sordine. & Volan.*  
*l. 1. contra 7. Co-*  
*lonus. pag. 5.*

**T**riplicem ergo modum statuit Calvinus, quo Christi corpus extra cælum non egrediens per fidem reuera comedere possumus, quos in suum librum descripsit, vt cætera feret Volanus. Primus, vt caro Christi in cælo manens, nobis degentibus in terra, vi Spiritus sancti, verè vniatur. Secundus, vt fides absens Christi corpus, verè efficiat præsens, vt verè comedi possit. Tertius, vt animus noster in cælum verè ascendet, & ibi carne Christi perfruatur. Et quidem de primo sic Calvinus, & Volanus scribunt: *Statnere oportet, non aliud corpus nobis verè*

*bi verè in cibum posse conferri, nisi quod pro expiandis peccatis crucifixum est, sicut & verba sonant. De modo tamen tenendum est, non opus esse carnis essentiam descendere de cælo, ut ea pascamur, sed ad superandam locorum distantiam, sufficere Spiritus sancti virtutem. Quanquam non negamus, quin modus hic humana mente sit incomprehensibilis. Beza vero, Tantum tribuimus (inquit) verbo Dei, vt non dubitemus nos, qui in terris sumus, tam verè, ac re ipsa esse participes carnis, manentes in cælo, quam ipsorum Sacramentorum.*

*Lib. 2. de Sa-*  
*cramentis. 14.*

## C. L. I. I.

**S**ed quoniam sibi ipsis aduersantur hæc dicta, non tam propria, quā dilucidādi causa, ea paululum examinabimus, vt, qua ratione inter se pugnant, apertè omnibus innotescat. Principiò, si caro Christi, fidi in terra existenti, per Spiritus sancti potentiam, verè vnitur: non distat igitur ab eo toto cælo, vt dicunt; vel certè, simul vnta est illi realiter, & non vniata. Deinde, dum Christi carnem secundum substantiam, fidelis commoranti in terra, realiter esse præsentem, & vniū dicunt, & tamen extra cælum realiter esse negant: quid quæso aliud faciunt, quām reni, sine re, fidelis realiter præsentem esse, afferere, & fidelem, sine re, potiri re ipsa? Iam liquidò constat, ad veram duorum cōiunctionem, non satis esse, vt vrrumque in rerum natura existat, sed necessarium prætereà esse, vt vnum præsens sic alteri verè, & secundum substantiam, non tantum secundum vim quandam & operationem. Atque hinc fit, vt nemo dicat solem secundum substantiam, sed secundum operationem & effecta vniū rebus, sub orbe lunæ constitutis. Cū enim secundum substantiam cælo affixus sit, necessariò secundum operationem tantum & virtutem, non secundum substantiam, rebus sublunaribus præsens est, eisque vnitur. Quius igitur sanæ mentis videt, si Christus secundum carnis suæ substantiam extra cælum non est; quemadmodum Sol ex se lucem spargit, sic Christum ex carnis suæ substantia effectus quidem in nos suos, quasi radios quosdam, diffundere posse, ipsam tamen carnis suæ substantiam nobis in terris manenti-

L. bus

*Caluin.lib.4.In-*  
*fist.ca.17.parag.*  
*24.Pet. Martr.*  
*in magna volu-*  
*mine. Rec. a con-*  
*tra Helianum.*

bus vniuersitate non posse, sicut Sol secundum substantiam suam extra cælum non est; nisi eandem substantiam extra cælum esse, & non esse simul, concedere velimus. Accedit, quod nec per Diuinam potentiam corpus Christi extra cælum esse posse, doceant: simul tamen dicant, Diuinam Spiritus sancti vim tantam esse, ut nobis Christi corpus secundum substantiam in terris vere vniat, & coniungat. At, quid quæso aliud est hoc dicere, quam Spiritum sanctum idem facere posse, & non posse?

## C L I I I.

*Volan.lib.1.con-*  
*tra 7.colu.pig.4.*

**Q**uid ergo? Cum hinc tutum præsidium non inuenirent, aliud non minus absurdum excogitarunt paradoxum; si de nimis rem absentem præsentem fieri. Fidemne ergo tuam, Hæretice, efficere affirmas, quod paulo ante, ne Deum quidem ipsum efficere posse, dixisti? Deinde, si fides nostra Christi carnem præsentem nobis facit; reperitur iam igitur extra cælum caro Christi, multis in locis, eodem tempore: cum fides in multis hominibus, locorum interuallo dissitis, simul esse queat. Denique cum fides incarnationis verbi Dei, multis seculis ante aduentum Christi, sanctis illis veteris Testamenti Patribus non defuerit, si fides rem absentem verè præsentem facit; multis seculis, antequam natus esset Christus, verè & realiter præsens illis erat. **H**oc vero quid absurdius?

## C L I I I.

*Lib. de optima*  
*ratiōne inveniā*  
*concordia.*

*Lib. 4. Inflit. ca.*  
*17. parag. 3.*

**A**liam itaque viam ingressus Caluinus, docet non nobis Christum præsentem fieri, sed fide nos in cælum euehi, ut ibi carne Christi verè vescamur. Hæc enim eius sunt verba: *Nostræ cum Christo unionis vehiculum est fides, qua sursum nos attollit.* Et iterum: *Christus illis præsens non videtur, nisi ad eos descendat; quasi vero, si ad se nos euehat, non aquæ potiamur eius præsentia.* Hæc Caluinus. Quod si illis obijcias, sensu ipso patefcere, nos, dum communicamus, in terra manere, nec euehi in cælum: respondent, Spiritum, siue animum nostrum, non corpus, verè ascendere in cælum, & ibi Christi carnem verè comedere. At qui si ita est, ut verè animi nostri in cælum, non sola cogitatione, ascendant; Cum simul in cælo, & in terra secundum substantiam

substantiam suam esse nequeant (ne sint illi æquales, qui cælum & terram se implere dicit) deserant sua corpora, necesse est, ut in cælos ascendant, & ibi carne Christi perfrauantur: Quapropter mori hominem necessariò, dum communicat (cum nihil aliud sit mori, quam animum à corpore separari) aut certè sine animo viuere, oportet.

## C L V.

**Q**uæ cum absurdissima sint, non verè & realiter animum, sed tantum cogitationem ad cælum euolare, sicque totam illam suam comeditionem, in cogitatione & phantasia consistere, fateantur necesse est: ut nihil aliud sit, secundum ipsos, Christi carnem comedere, quam iuxta Christi promissionem, credere se veram & naturalem eius carnem comedere, cum illam non verius comedant, quam qui somniant se comedere, expergescunt tamen, quam diuersum sit comedere, & credere se comedere, probè, fame urgente, deprehendit.

## C L V I.

**D**emum candidè percontor, An verè & realiter nobis Christus corpus suum vniat (quoquo id modo fiat) an non. Si non vnit verè & realiter, credere igitur non debemus, nobis vniiri. Si vero nobis illud verè & realiter vnit, ita ut caro Christi una nobiscum substantia fiat (sicut docet Caluinus) cum animi fidelium maneat realiter in terris, profectò necesse est, ut cum illis in terris sit caro Christi, in tot locis, in quot sacra Cœna suscipitur; vel, quod tam constanter afferunt (fidelibus, nimis, verè & realiter carnem Christi vniiri) merum est figmentum: Atque hæc est illa realis, vera, & substantialis Caluinistarum comedatio.

## C L V I I.


**S**ed quid tamdiu insulsis istorum præstigiis confutandis immoror? Unico verbo res expediam. Affirmant isti (inter quos non infimus est Volanus) *Si comedas consuetum cibum, cum fide, te Christi carnem per fidem verisimile in cælo comedere: si sacram Cœnam, sine fide, accipias, nihil Christi carnis attingere: si cum æquali fide siue sacram Cœnam, siue panem profanum manduces, te*

non plus in uno , quām in altero percipere; utrobique enim equaliter Christum in cælo, per fidem , manducari: Si vero nihil omnino comedas, modo fide in Christum feraris, Christi carnem verè, & non minus manducare, quām si sacram Cœnam sumeres. En tibi excellentia Zuinglianorum Sacraenta. En liberalitatis Christi immense beneficia, non obscurata solum, sed ad nihilum prorsus redacta. Iam comeditionem realem seorsum confirmemus, vt vnica opera, duplex à nobis victoria reportetur. Simul enim & realem manducationem , licet coniunctam spirituali , præceptam à Christo demonstrabimus , & Christum , extra cælum, in Eucharistia verè præsentem adesse , declarabimus.

### P A R S   S E C V N D A .

*Comeſio realis Eucharistie, ex Scriptura probatur.*

#### A S S E R T I O   C L V I I I .

N confessio est, ita corpus Christi Seruatoris nostri comedendum à nobis esse , quemadmodum id ipse nos edere præcepit. Nec illud quoq; minus est certum, Christum Dominum iussisse id, quod corpus suum esse dixit , ore corporis manducari. Quod vel ex eo solo patet , quod Apostoli , huic mandato Domini satisfacientes , verè porrectum sibi à Domino Sacramentum , ore corporis manducarunt. Sequitur igitur necessariò, ore corporis, manducandam esse Christi carnem ex eiusdem præcepto : nisi Christum per corpus suum , pro nobis tradendum (quod se habere in manibus, & dare discipulis dixit) mendacio prorsus aperto , panem intellexisse fateamur.

#### C L I X .

**A**ccedit, quod instituendorum nouorum Sacraentorum Aduersarij potestatem nullam habent. Dominum autem illis verbis, Accipite , & comedite , hoc est corpus meum, eius rei , quam Apostolis porrigebat, corpoream manducationem præcepisse, nec Aduersarij ipsi negare audent: ideo enim panem in sacra

in sacra Cœna necessariò censem comedendum ore corporis. Atqui alia comedio (præter hanc corpoream) à Christo non est præcepta. Si quam igitur aliam comeditionem naturalis corporis Christi, à reali diuersam, prædicant, siue supernaturem illam, siue cælestem, & mentalem vocent , aut quibusunque ornent verbis , ab ipsis illam excogitataam , non à Christo institutam esse, inficiari non poterunt.

#### C L X .

**I**Am verò, si sola spiritualis manducatio præcipitur, quid quæso necesse est templum adire, & Eucharistiam sumere? Cùm enim ista manducatio spiritualis nihil sit aliud , quām in cælo Christum animo complecti, atque ita carne eius vesci: profectò, cùm eum animum domo afferre debeat , quicunque dignè communicare cupit , iam domi is , qui tales animum habuit, antequani communicet , communicavit. Quid igitur necesse est Cœnam sacram sumere? Fidem , inquit, signa excitant, quæ si maior fuerit, copiosius Christo perfuerit. Itane verò? Si ergo concione , lectione Euangelij , meditatione pia , magis fides excitatur, quām cœna Domini, satiūs profectò erit, Euangelij lectionem , aut concionem , aut meditationem , quām sacram Cœnam frequentare. Frustra igitur Christus sui corporis Sacramentum instituit : frustra tam magnificas de sua carne, (quam pro mundi vita datus erat,) in Cœna promissiones fecit : cùm non plus in eo Sacramento , quām in pia qualibet actione , nobis carnem suam conferat. Illud certè negare non poterunt, si nihil aliud est comedere carnem Christi, quām fide, & pia mente in ipsum ferri , non magis se in cœna profana, quām in Eucharistia Christum manducare. Siue enim comedimus, siue bibimus, in gloriam Domini nostri facere omnia, præcipit Apostolus. Hoc autem quid quæso est aliud , quām Domini pie in cibo aut potu meminisse , fidemque in eius cultum excitare? At in hoc , ipsorum sententia , vere spiritualis Eucharistiæ comedio consistit.

#### C L X I .

**Q**Vid, quod si ideo solum (vt Aduersarij tam constanter af-

L. 3 firmant)

firmant) sumi dicitur in Eucharistia caro Christi , quia quando sumitur Sacramentum cum fide , Christus in animos nostros se infundit; neque illa alia potest ab ijs ratio assignari: cùm etiam sumendo eandem Eucharistiam cum perfidia, Sathan in animum infidelis, (vt in Iudam post buccellam intravit) ingrediatur, non magis in Eucharistia esse, nec sumi Christus, quām Diabolus diceretur? Imò si illud est satis, vt Christus iure dicat de Eucharistia: Hoc est corpus meum, profectò etiam Sathanæ dicere licet, Hæc est natura mea , aut simile quippiam. Si enim in Cœna corpus Christi non verius est, nec magis porrigitur, quām ibidem Sathan, & est, & datur : quo illi iure cœnam Domini corpus Christi esse dicent, eodem Cœnam Sathanam esse , necessariò confiteri cogentur.

## C L X I I .

**V**ox quoque est frequens Caluino , omnino istam pīstetendam esse regulam: *Vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatae veritatem adesse certò cogitent: nisi Christum fallacem esse velint. Quare accepto corporis symbolo, non minus, corpus etiam ipsum nobis dari, certò confidendum esse.* Quæ si vera sunt, verè profectò nobis caro Christi in symbolo porrigitur: non igitur spiritualiter tantum, sed re ipsa Christum manducamus. Licet enim Caluinus doceat, spiritualiter comedи carnem Christi , siue hac voce , spiritualiter , invisiibiliter, siue aliud quidpiam intelligat, modò nobis carnem Christi, cum signis; non vacua signa dari concedat, conuenimus. Modum enim ista præscribunt, carnis tamen substantiam, cum signis dari non negant: Extra cælum ergo Christi caro in terris realiter exhibetur, & cum signis , corporeo ore suscepis, realiter suscipitur.

## C L X I I I .

**I**am verò , si vera est Sacmentariorum sententia , quis non videt , quām ineptè Paulus probationem sui , & dijudicationem, sacram Cœnam præcedere velit? Quām falso etiam aliquos indignè corpus Domini sumere affirmet? Nam si vera est ipsorum sententia, probatio & dijudicatio, ad corporis sumptionem

Llib. 4. Infrinat.  
ta. 17. par. 30.

ptionem præmitti nunquam potest: neque nullus corpus Domini in indignè accipere. Et primum quidem vel ex eo patet, quod nemo se ritè probet ad suscipiendam Eucharistiam , nisi fide Christum amplectatur, & animo in ipsum feratur. At hoc non esse probationem , quæ præmittatur ad mandationem , sed esse ipsum comedere corpus Christi, affirmat Caluinus. Non ergo præcedere vñquam probatio comeditionem corporis poterit: vel alia profectò est manducatio corporis Christi, de qua Paulus agit, realis nimurum , ad quam spiritualis ista præmittitur. Posterius verò ita ostenditur: Si comeditur corpus fide, cùm dijudicare corpus Domini, sit credere; nullus profectò vñquam comedit corpus Domini , quin necessariò illud dijudicet. Falsum ergo est, quod ait Paulus, Aliquos comedere corpus Domini , & non dijudicare. Quis verò vñquam suscepit, aut suscipere potest indignè corpus Domini, vt Paulus à mendacio liberetur, si tantum fide , non ore comeditur ? vbi enim fides est, quæ Christum amplectitur, & reueretur, & per ipsam corpus (vt docent isti) manducatur; quæ culpa, aut indignitas efficere poterit, vt ad iudicium manducetur? Nam si fides defuerit, aut non obierit vices suas, Christi corpus (quod solùm fide editur, ipsorum sententia) non comedetur. Non ergo indigna manducatio , sed nulla omnino erit. Mentitus itaque Paulus est, qui aliquos sine probatione, seu dijudicatione, & indignè Eucharistiam sumere affirmauit. Quod afferere cùm sit blasphemum , etiam illud, ex quo id sequitur ; nimurum , corpus Domini fide tantum percipi, non ore corporis, erit falsum, & impium. Atque hæc abundè satis esse possent, ad istorum ineptissimorum hominum fraudes & stultitiam declarandam. Verūm quoniam non tantum absurdā, pugnantia, & blasphemia docent, sed etiam Catholicā dogmata , mala fide populo proponunt, eaq; in inuidiam trahunt: supereft ostendere, quæ Ecclesiæ Catholicæ doctrina sit, de spirituali Christi corporis manducatione , & quām conformis Sacris literis , quamque è diuerso inepta sint omnia, quæ contra eandem Sacmentarij obijciunt.

P A R S

## P A R S   T E R T I A.

*Spiritualis, simul, & realis Catholica comedio explicatur.*

## A S S E R T I O   C L X I V .

2. Cor. 11. Ioan. 6. Rom. 6. Serm. 11. de verbo Domini. Rom. 10.

Riplex omnino manducatio in Scriptura reperiatur. Prima quidem, qua maximi ore vero, cibum verum, in verum trahimus stomachum, de qua Paulus: Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, &c. Secunda spiritualis tantum, quæ nihil eorum, quæ commemorauimus, verum habet, cum reuera nihil sit aliud, quam mentis eleuatio: per figuram tamen Metaphoricè comedio dicitur. Atque de hac manducatione Seruator noster disputauit, cum turbas vero cibo, priori illo modo, saturatas, à desiderio cibi terreni auocare, & ad spiritualem manducationem, animos erigere nitebatur, dicens: Quæritis me, non propter signa, sed quia manducastis, & saturati estis. Et, Qui venit ad me, non esuriet; &, Qui credit in me, non sitiens. Item, Qui sitiens, veniat ad me, & bibat: quod dixisse Christum de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, Ioannes explicauit. Tertium denique genus manducationis, est conflatum ex utroque priori, quando scilicet aliquid comedimus verè, sed in memoriam alicuius. Tunc enim & corpus praesenti cibo, & animus rei absentis memoria & consideratione reficitur, & delectatur. Sic Agnus Paschalis, sic Manna, sic Sacrificia, in memoriam Christi venturi, ab hominibus timentibus Deum, quondam manducabantur. Sic quoque & veri Christi cultores, in memoriam passionis Christi præteritæ, non iam figuram, ut illi, aut umbram, sed veritatem, & corpus eiusdem Christi Domini comedunt: ut scilicet corporis ore vero, veram carnem comedant, & mense eiusdem Christi memoria, fide, & dilectione, suo modo etiam pascatur. Cuius comedionis meminit Dominus cum diceret: Qui manducat me, & ipse viuet propter me: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

Cum

## C L X V .

C Vm itaque hoc triplex manducationis genus in Eucharistie sumptione inueniatur; primo illo modo, soli impij in iudicium & damnationem, carnem Christi comedunt, ut Paulus docet. Duæ autem postremæ comedendi rationes, in solos pios, & veros Christi amicos cadunt. At prior quidem in eos tantum cadit, qui etsi Sacramentum non percipiunt, habentes tamen votum vniendi se Christo, per fidem & charitatem, dicuntur eundem manducare, non tamen verè, sed Metaphorice, nec realiter, sed spiritualiter tantum. Posterior verò iis conuenit, qui non solum voto, sed per dignam etiam susceptionem Sacramenti, cum Christi carne se vniunt, & in unum corpus cum eo coalescent, ut fiant os de ossibus eius, & caro de carne eius, ut Paulus testatur. Ephes. 5.

## C L X V I .

Q Vam igitur peruerse, fraudulenter, & subdole Sacramenti hostes Catholicos, apud rudem plebeculā, in inuidiam vocant, clamitantes, eos Christo contradicere, dum asserunt peccatores corpus Christi comedere, cum Christus dicat, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet: &, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Ioan. 6. Quasi verò nos, cum asserimus, peccatores indignè Christi corpus comedere, aliam quam realem solam manducationem, qua non vita, sed iudicium, & mors æterna manducatur, intelligamus: aut dum Christus manducanti, in se mansionem pollicetur, eum non dignam, hoc est realem simul & spiritualem manducationem intelligere existimemus. Nam (ut rectè Augustinus docet) Sacramentorum promissiones, semper sunt conditionatè intelligendæ, si nimis rite Sacraenta suscipiantur. Neque enim, qui baptizatus fuerit, si indignè ad Sacramentum accedat, saluus erit: quod vel Simonis Magi testatur exemplum.

## C L X V I I .

N Ec minus impudenter obiciunt nobis Augustinum, qui (explicans illud Ioannis, Hoc est opus Dei, ut credatis in Ioan. 6. M cum,

*Augst. Tract.  
23. in locum.*

cum, quem misit ille. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Pater dat vobis ) dicit, non dentem aut ventrem ad talem mandationem, sed fidem præparandam esse, & mentem. At quis non videt impostorum istorum, ad incertos & rudes decipiendos, præstigias, ad Ecclesiam in inuidiam inducendam, apertam fraudem : cum luce clariss constet, Augustinum eo loco non de Eucharistia, sed de pane profano locutum, cum dixit, *Quid paras dentem, & ventrem?* Hæc siquidem Augustinus scripsit, ut explicaret illa verba Christi: *Quæritis me, quia saturati estis, & manducastis ex panibus.* Operamini non cibum, qui perit, &c. Quare, cum nullam adhuc ibi Christus corporis & sanguinis sui in Eucharistia relinquendi, fecerit mentionem; sed tantum hortatus fuerit turbas, ut deposita cura terreni & corporalis cibi, quærent spiritualē, qui in eo consistit, ut credant in eum, quem Pater misit: verba hæc, Ut quid paras dentem & ventrem &c. nullo modo de Eucharistia, Augustinus scribere potuit.

## C L X V I I I .

**S**ed intolerabilius adhuc est, quod asserunt, Patres omnes nostræ sententiae repugnare, propterea quod sæpenumero, comedionem spiritualem miris efferunt laudibus, nulla interdum realis mandationis facta mentione. Quid enim aliud hac bella philosophandi ratione faciunt, quam quod spiritualem, & realem, & omnem omnino mandationem è medio tollere conantur? Si enim illi, ex eo, quod Patres interdum agunt de mandatione spirituali, nulla facta mentione realis, rectè inferre se putant, realem mandationem omnino esse abolendam: an non eodem quoque iure, quia Patres non raro realis comedionis meminerunt, omnis comedionis spiritualis commemoratione penitus prætermissa, spiritualē mandationem abolendam, concluderetur? An non longè æquius, cum alicubi Patres de mandatione sola spirituali agant; alicubi de sola reali; plerunque de utraque coniuncta disputant, utramque admittendam esse ( ut Ecclesia docet) inferri potest, & debet?

Ne vero

## C L X I X .

**N**Everò Patres sic locutos, ut dixi, dictu fortassis, at non æquæ probatu facile cuiquam videatur, cum proferamus, quem maximè suum esse, Aduersarij iactant, Augustinum, quóque uno se tutissimos esse dicunt. Is verò, de qua quæso mandatione, nisi de reali agit, cum ait, *In lege sanguinem prohiberi, in Euangelio permitti, & præcipi?* Neque enim in veteri lege sanguinis haustus spiritualis, per fidem in Christum prohibebatur, sed potius commendabatur: ille igitur haustus sanguinis Christi, qui modò præcipitur, & qui prohibebatur olim, non spiritualis est, sed realis. Nec nisi de reali eadē mandatione intelligi potest Augustinus, cum ait: *Cum quis ob reverentiam non audet quotidie communicare, sic Christum honorat,* Epistola 118. *vt Christum honorauit Centurio, cum eum domum suam intrare prohibuit, dicens: Domine non sum dignus, ut intres sub tecum meum.* Quod autem locus hic Augustini non possit intelligi de sola spirituali Christi mandatione, aperte conuincitur vel ex eo; quod qui prætextu reverentiae, frequenter, aut quotidie communicare non audet, dicat, cum sic honorare Christum, ut quondam eundem Christum Dominum honorauit Centurio. Nam qui rarius manducat Christum spiritualiter, non plus honorat Christum, sed minus. Quo enim frequentius quis credit & amat, eo frequentius spiritualiter comedit. At quis dicat, cum honorare plus Christum, qui rarius fidei & charitatis actus exercet? Illud quoq; an non de externa Christi carnis sumptione dictum est: *Vniuersæ placuisse Ecclesia, in honorem tanti Sacramente, ut in os Christiani prius Dominicum corpus, quam exteri cibi, intraret.* De eadem intelligendum est & illud: *Christus in Cœna, se ipsum suis manibus portabat:* quod toties repetit Augustinus. Quod de reali Christi corpore necessariò intelligendum est. De reali enim corporis, non significatione Scriptura loquitur, de eademque eam loqui Augustinus intellexit, cum ait, dictum illud in puro homine impieri non posse; quod alterius quidem manibus portari possit homo, suis se ipsum manibus portare nemo possit: solum in

*Quæst. qz. in  
Locut. um.**Epistola 118.*

*Conc. 1. & 2. ss.  
Titul. Psal. 33.  
1. Reg. 21.  
iuxta translatio-  
nem 70. inter-  
pretum, quam  
preter Augst.  
etiam securus sit  
Prosp. lib. præ-  
diff. cap. 23.*

M 2 Chri-

<sup>92</sup>  
Christo veritatem hæc habere, quia nimis sum suum reale corpus, suis manibus in Cœna portauit. Quod certè de signo dici non potuit. Quis enim neget, posse quempiam sui imaginem in manu gestare?

C L X X.

*Lib. 2. contra  
Aduersitatem &  
Prophet. cap. 9.*

*Epist. 162.*

*In Psalm. 98.*

*Epist. 110. ad  
Honoratum,  
cap. 17.*

*Math. 5.*

D E spirituali mandatione, scilicet, intelligi potest Augustinus, cùm ait: *Fideli ore, & corde suscipimus carnem Christi, & eius sanguinē bibimus, quamvis horribilis sit, humanam carnem comedere, quam perimere, & sanguinem humanum bibere, quam fundere.* Et cùm alibi dicit: *Tolerat ipse Dominus Iudam, Diabolum, furem, & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nōrunt, pretium nostrum.* An potuit idem, sine execrando idolatriæ scelere, adorandam esse docere Eucharistiam, antequam comedatur, si in ea Christi corpus verè non continetur, & spiritualiter tantum, non realiter comeditur? At id sàpè, & fusè planissimis verbis testatur: vti explicans versiculum illum Prophetæ, Adorate scabellum pedum eius. Vbi sic scribit: *Suscepit (Christus) de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Marie carnem accepit.* Et in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Quid, quòd super illud Psalmi, Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ; impios, & superbos carnem Christi in Eucharistia comedere, eandemque adorare, his verbis asseuerat? *Diuites terræ, superbos intelligere debemus, si rectè superius pauperes humiles intelligebamus, de quibus in Evangelio Dominus dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Neque enim frustra ita distinxisti sunt, vt de pauperibus supra dicereetur, Edent pauperes, & saturabuntur: hic vero, Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine eius: sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes.

Et

<sup>93</sup>  
Et eadem Epistola: *Quia Deus excitauit Christum à mortuis, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu electatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum, fama celestis eius, & gloria nominis eius, in Ecclesia usquequaque diffusa, permoti & ipsi veniunt ad mensam, manducant, & adorant, non tamen saturantur, quia non esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Et alio in loco: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam diuites terra, nec, sicut pauperes, saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adorauerunt.* Quibus similia multa passim apud Augustinum repertis, vt Epistola 118. ad Ianuarium, cap. 3. Libro De catech. Iandis rudibus, cap. 26. In Psalmum 48. Conciione 1. & alibi.

*In Psal. 21.  
Conciione 1.*

*Tradit. 26. &  
17. in Ioannem.*

*I. lib. 12. in Euc-  
hism. cap. 10. &  
20. & in I. salm.  
13. 93. 44. &  
98. & in Ioann.  
Tradit. 1.*

*Ioan. 19.  
Exod. 12.*

*Homil. 7. in Le-  
uit. & Homil. 7.  
& 16. in Num.*

A T sibi aperte alijs in locis fauere Augustinum iactant, cùm per corpus Christi, societatem beatorum, & corpus mysticum, Christum intellexisse, cùm de carne sua loqueretur, affirmat. Quia in te profectò iniquè nobiscum agunt Caluinistæ, qui cùm ipsimet omnes asserant, se verum Christi corpus, quod pependit in cruce, sumere, tamen hic mysticum corpus se accipere, probare contendunt. Quòd si ipsos sibi non constare, imò prorsus delirare non pudet, Augustinum certè insanum facere non deberent: qui cum centies aperte doceat, nos accipere corpus Christi, quod natum est ex virgine; nos crucifixum comedere; Iudaos conuersos, eundem sanguinem bibisse postea in Eucharistia, quem anteā fuderant: hic tamen mysticum corpus, id est, Ecclesiam, nobis in Sacramento dari affirmet. At inquiunt, verba Augustini, quibus id asserit, sunt aperta. Quasi verò sensus allegoricos, aut mysticos, Scripturas habere negarremus, aut quasi sensus mysticus literali deroget: nisi fortè, quia Ioannes ait, verba illa Exodi, Os non communuetis ex eo, esse intelligenda de Christo, ideo à Iudeis non fuisse in literali sensu obseruanda, putent: aut quia Paulus ait, Jacob & Esau significare duos populos, Iudaicum reprobatum, & Gentilem electum, ideo Jacob verè electum, & Esau reprobatum negent. Fateor Augustinum, & alios Patres, sensus mysticos adferre

M 3 inter-

interdum , sed literalem reieccisse vñquam , pernego. Imò illis  
ipfis locis , quæ contra nos afferunt , literali sensu frequentissi-  
mè vñ sunt. Origenes certe , cùm dixisset , populum fidelem  
credere , & potare verè Christi sanguinem ; vno vel altero in-  
terioro versu , sensum mysticum subnecit , vbi per corpus  
Cap. 6. Christi , Scripturas intelligit. Et Augustinus , et si illud Ioannis ,  
Caro mea verè est cibus ; & , Panis , quem ego dabo , caro mea  
est &c. de corpore Christi mystico , hoc est , societate sancto-  
rum , toto ferè 26. & 27. Tractatu , explicat ; tamen eodem 27.  
Tractatu , satis clare admonet , cur id faciat. Quia , scilicet , con-  
tra Donatistas scribit , qui ab Ecclesia , quæ est corpus Christi  
mysticum , separati erant : quos vt à schismate , & hæresi magis  
deterreret , eo sensu caput illud Ioannis explicare voluit ; quod  
apertè satis indicat , cùm ait : *Hæc dicuntur , vt amemus unitam*  
*, & timeamus separari. Nihil enim sic debet formidare Chri-*  
*stianus , quām separari à Corpore Christi. Nam propriè verba il-*  
*la Christi , Caro mea verè est cibus &c. de vera eius carne , quæ*  
*cruci affixa est , dicta , & intelligenda esse , cum aliis in locis fre-*  
*quenter , tum in Psalm. 33. & 65. & libro 3. de consensu Evan-*  
*gelistarum , cap. 1. docet.*

### C A P V T Q V I N T V M .

#### De Transubstantiatione.

##### P A R S P R I M A .

*Transubstantatio ex Adversariorum dictis euincitur.*

##### A S S E R T I O C L X X I I .

 **P** R V G N A T Lutherus errorem Sacramentario-  
rum , seque meritò vicisse gloriatur , dum multis  
libris , proprietatem verborum Christi , quam Ca-  
tholici docent , demonstrat. Calvinistæ contrà  
plurimis , & validissimis argumentis ostendunt ,  
insanire Lutheranos , quòd cùm verba Christi propriè accipien-  
da esse dicitent , Pontificiam tamen negent Transubstantia-  
tionem.

tionem. Quocirca pulchrè in eos illa Augustini sententia qua-  
drare videtur: *In his , quæ singuli vera dicunt , prius inter se compo-*  
Lib. de pecto-  
rum reatu. &  
seru. cap. 34.  
*nant , & consequenter fieri , vt à nobis nulla ex parte dissentiant. Cæ-*  
*terum , cum quo nobis hoc loco controuersia esse debeat , haud*  
*satis leio: cum Sacramentariusne , qui acerrimè , admissa proprie-*  
*tate verborum Christi , quam ostendimus , Transubstantiatio-*  
*nem negari , nisi ab insanis , non posse , contendunt: an verò cum*  
*Lutherò , qui singulis annis mutata sententia , modò Transub-*  
*stantiationem approbat , modò negat , modò ita varius est , vt*  
*iam liberum esse vtrumlibet , nunc abiiciendam esse inutilem*  
*quæstionem , & explodendam , omnino doceat : vt ne collatis*  
*quidem annis , & eius dictis inter se pugnantibus , certi aliquid*  
*de eius sententia possis statuere.*

##### C L X X I I I .

**N**Am anno 1519. expresse inquit , *Non est in Eucharistia pa-*  
Berm. edito , anno  
1519. de venera-  
tione Sacra-  
mento.  
*nis & vinum , sed eorum species. Panis enim transmutatur in*  
*verum & naturale Christi corpus. Anno 20. Transubstantiatio-*  
In captivitate  
Babylonie.  
*nem in dubium vocat , eamque irrisioibus exagitat: utramque*  
*tamen opinionem ad placitum cuique tenere permittit. Sed*  
*rursus anno 21. verissimam fieri Transubstantiationem , &*  
*omnino credendam esse profitetur. Anno autem 22. Anathe-*  
*ma dicit ei , qui negauerit panem cum corpore remanere: Sed*  
Lib. de abrogâ La-  
Missa primita.  
*statim anno 23. anathematizatus homo , sui oblitus , iterum ad-*  
*mittit Transubstantiationem : quam Anno 24. & 25. omnino*  
*rejecit. Sequentibus verò annis 26. 27. & 28. nunc <sup>a</sup>nouum , quo*  
*Christus sit in Eucharistia modum excogitat: nunc <sup>b</sup>eundem*  
*modum se nescire , ingenuè fatetur: nunc <sup>c</sup>parum referre , siue*  
*panem remanere , siue non remanere credamus , docet; <sup>d</sup> seque*  
*malle cum Papistis credere , nihil panis in Eucharistia remane-*  
*re , quām cum Caluino , solum panem in Eucharistia esse. In eo*  
*tamen magis constans semper permanere videtur , vt dicat , pa-*  
*net Christi corpus esse , & corpus Christi non tantum in pane ,*  
*& cum pane , sed panem verè esse , & verissimè affirmari. Sic*  
*enim scribit: *Credo firmiter , corpus Christi esse panem. Sic enim me**

Lib. de captivitate  
Babylonie.

*seruabunt illa verba: Hoc , id est , hic panis (quem accepere at) est corpus*

*meum:*

Lib. de abrogâ La-  
Missa primita.  
Lib. 1. contra  
Regem Anglie.

Lib. ad Senatum  
Prag. de insti-  
tuendis Ministris  
Ecclesiæ.

a Lib. contra ce-  
lestes Prophetas.

b Sermo de Eu-  
charistia.

c Lib. de verbis ,

Hoc est corpus

meum.

d In Confessione

magna , par. 2.

meum: & illa Pauli: Panis, quem frangimus &c. Non enim dixit in pane, sed ipse panis, communicatio corporis Christi est. Male sanum quoque Magistrum infelices discipuli, pari constantia, & confessione sequuntur. Nam confessio Augustana expressè docet Transubstantiationem admittendam. Idem Apologia prima istius confessionis clarius & perfectius. At Heshusius in scripto contra Caluinum, & Bezam, omnino Transubstantiationem, & illum confessionis articulum execratur. Philippus vero illam approbat; Kemnicius omnino rejecit; Illyricus Semitransubstantiationem docet admittendam, ita tamen, ut verissime, & propriè dici afferat; Panis est corpus Christi, & Deus fuit aliquando columba, & Spiritus sanctus flatus. Demum aliqui eorum dicunt (vt Glebitius refert) panem esse ipsum essentiale corpus Christi; alij pani adeste corpus Christi; alij in, cum, sub pane esse corpus Christi; alij transire in panem; alij demum esse circumcircà panem.

*Edita anno 1530  
& anno 1563.*

*Anno 1562.*

*Liber de hac re  
edito anno 1530.*

*a. In parte 2.  
Examination cap. 4.  
de Euchar.  
b Lib. contra Sa-  
cramentarios edito  
anno 1574. par.  
2. arg. num. 55.  
c Lib. de ruina  
Papatus Saco-  
nici, parag. 1.  
arg. 3. & 12.*

## P A R S   S E C V N D A.

*Transubstantatio ex Scripturis euidenter probatur.*

### A S S E R T I O   C L X X I I I .

*In difutatione  
cum Ario. Ea-  
dem fortaliter  
Natura. lib. de fide.*

**N**DIGNVM equidem puto in ijs confutandis, quæ ineptè, inaniquè conatu, ab Aduersarijs, contra Transubstantiationis vocem, tanquam exoticam, barbarem, & prodigiosam, obijciuntur, immorari. Quare illa vnica responsione, qua olim vocem *omosoterion* execranti Ario, os obstruxit Athanasius, conquiescant. *Nominisne*, inquit, *offenderis nouitate*, an etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua nouum nomen accepit, non vocabulo noua rei veritas accessit. Causam autem noui nominis, rei antiquæ imponendi, explicat fuisse nouos errores exortos, ex mala intelligentia veritatis antiquæ. Olim & Dositæ, Theodæ, & Iudæ cuiusdam se-  
tatores, Apostolorum tempore, cum Christi discipulis, uno nomi-

nomine censebatur. Ut autem à falsis discipulis hos distinguerent Apostoli, nouo Christianorum vocabulo eos insignierunt. Sic, cùm Sabelliana Hæresis genitum ex virgine Patrem assereret, Ecclesia ingenitum esse patrem definiuit, quod vocabulum in Scripturis nusquam reperitur. Deum de Deo, lumen de lumine, etiam ipso Arianos in Symbolo admisisse constat: cùm nec in Apostolorum Symbolo, nec in tota Scriptura hæc voces legerentur. Contra Eunoium, filium Parti dissimilem asserentem, æqualem eum Patri esse, definiuit Ecclesia: contra Arium vero *omosoterion*. Ac demum, tot nouorum verborum, inquit Athanasius, *antique veritatis religioso intellectu extiterunt nomina*, quot fuerunt subministratae occasiones. Sed his de solo nomine questionibus omisssis, ad rem ipsam demonstrandam veniamus.

C L X X V.

**A**TQUE vt ab ijs, quæ hoc Sacramentum in antiqua lege præsignificauerunt, probandi capiamus exordium, duas Eucharistiæ figuræ Paulus commemorat, Manna, & aquam de petra eductam: quas umbras, & figuræ, si iam adimplatas esse per Christum (qui se, vt legem impleret, venisse testatur) Aduersarij credunt, fateanturoportet, quod quemadmodum per Diuinam potentiam, Mannæ substantia in diuersorum ciborum transubstantiabatur naturas, petra vero in potum corporalem conuertebarat; ita in Eucharistia panis substantia in corpus Christi, vnicum animarum alimentum, per illud corporeum nutrimentum figuratum, transmutetur, & transubstantietur. Quod si negant, fateri tamen cogentur, Christum Legem, Prophetas, & figuræ non impleuisse, & umbram illam ac figuram Eucharistiæ, longè figurato fuisse præstantiorem, & miraculis longè illustriorem.

C L X X V I.

**N**AM Mannæ quidem non qualitatem aliquam, aut proprietatem, sed ipsam substantiam in varia ciborum genera conuersam, testis est Scriptura, quæ ait, Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, qui deseruiens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.

Sapi. 14.

N

uerterebatur. Et tursus, Omnia transformata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant, ad voluntatem eorum, quos dilexisti. Vbi Transformationis & Conuerzionis nominibus substantiarum mutationem significari, etiam vocabulorum ipsorum vis declarat. Quod idem Augustinus aperte confirmat. *Substantiam, inquit, conuersam dixit, non qualitatem, aut proprietatem. Non ergo niuis natura (erat enim Manna simile rori, aut niubus, soleq; soluebatur) sed per verbum, & virtutem Dei, facta pane, & carnis, sub accidentibus niuis, alebantur.*

## C L X X V I I.

**I**Am verò, si quis Prophetam interroget, de petra, vnde aqua manauit, num aqua creata sit, ad iustum Moiaicæ virgę, an potius petra fuerit ipsa in aquam transmutata: non aquam creatam de nouo, sed conuersam petram in stagna aquarum fuisse, planissimè respondebit. Quid autem hoc est aliud, quam natu ram vnam quasi transubstantiari in alteram?

## C L X X V I I I.

**N**unc ipsa Christi verba, nostramne improbent, an confirment sententiam, inspiciamus. Principiò igitur, An non extremæ dementiæ est, cùm Christus illud, quod habet in manibus, dicat esse suum corpus, affirmare audere, non Christi corpus esse, sed panem, in quo, vel sub quo corpus continetur? Referunt autem Evangelistæ Christum Dominum, illis verbis, Hoc est corpus meum, panem benedixisse. Deum verò bene alicui dicere, nihil aliud est, quam quod benedicendo precatur, bonum conferre: neque Deum vñquam maledixisse alicui, neque benedixisse in Scriptura comperimus, quin benedictionis continuò effectus verbis comprehensus, mutata rei natura, sequeretur. Maledixit Euæ dicens, In dolore paries filios; malè precatus est Adæ, In sudore vultus tui vesceris pane tuo: Maledixit similiter & sicui: & continuò mutatis rerum earum naturis, maledictionis effectus subsecutus est. Benedixit contrà homini, & cæteris animantibus, dicens, Crescite & multiplicamini: Benedixit Abrahæ & Saræ sterilibus: & continuò itidem, mutatis naturis, benedictio suum effectum fortita

tita est. Cùm ergò & pani Christus benedixerit, dicens, Hoc est corpus meum; quis negare audeat, panis naturam in id mutant, quod est verbis benedictionis expressum?

## C L X X I X.

**N**ec aduertunt Lutherani, si admittamus in Christi verbis, Hoc est corpus meum, Pronomen (Hoc) panem demonstrare, vt sit (quemadmodum ipsi volunt) sensus, Hic panis est corpus meum: Christum aperte à nobis mendacij coargui. Per Diuinam enim Christi potentiam posse quidem effici, vt panis desinat esse panis, & in Christi corpus, vel rem aliam conuertatur, constat: at vt panis in sua substantia permanens, corpus Christi sit, per nullam potentiam fieri posse, ne Lutheranorum quidem vllus negare audebit. Quod si propter solam illam vñionem panis cum Christo, quam astruunt Lutherani, de pane corpus Christi dici, & vere prædicari affirmant: videant, consequenter necessariò sibi admittendum esse, panem crucifixum pro nobis, atque etiam resurrexisse. Si enim verè dicitur, Iste panis est corpus Christi, & corpus verè crucifigitur, profectò panis etiam iste, verè dicetur pro nobis crucifigi. Atqui id absurdum esse negant Lutherani; imò expresse affirmat Illyricus, propter vñionem Sacramentalem panis cum corpore, verissimè dici, panem esse corpus Christi, & tradi pro nobis, aliaque similia. At certè aures piæ perhorrescunt, quod ex his consequens est, Panem scilicet, Deum, & Deum panem esse; Panem adorandum, & Deum irrationalem, stupidum, sensu, vita, & ratione carentem esse. Quæ si Illyrico rectissimè dicta videntur, certè cuilibet pio non possunt nisi blasphemæ, mili etiam stulta videri. Nam attributio & communicatio nominum, qua actiones duabus naturis distinctis attribuuntur, non fit nisi eo iure; si vtraque natura in uno supposito subsistat: tunc enim & actiones, & nomina, quæ suppositi sunt, utrique naturæ sunt communia. Ea enim ratione, eundem Christum, vt Deum & hominem, ita mortalem, & immortalem, verissimè affirmamus. At vbi duo sunt distinctæ supposita, & distinctæ naturæ, fieri nullo modo potest, vt vera possit esse actionum, &

nominiū communicatio. Si ergo verē manet distinēta natura panis, & verē distinctum suppositum, ut docent: falso profectō à Christo dicitur, Hic panis est corpus meum; stulte & blasphemē affirmatur, panis est Deus.

C L X X X .

**R** Uſus ſi verē dicitur: Hic panis est corpus Christi, corrueſt necesse eſt illa propositio, à Lutheruſ cum ſuis aſſeclis toties decantata, & quam negare nullo modo poſſunt: Cum, in, ſub pane eſt corpus Christi. Simul enim veritatem ſuam hæ duæ propositioſes habere non poſſunt. Sicut in Apoſtolis Spirituſum ſanctum fuſſe profitemur omnes: quiſ tamen, niſi inſanuſ, dixerit, Apoſtoloſ ſuſſe Spirituſum ſanctum? Sic Christuſ propriè redemptor noſter dicitur: at ſub Christo, vel in Christo redemptorem noſtrum eſſe, verē dixerit nemo.

C L X X X I .

Llib. 4. Inſtitut.  
cap. 17. par. 13.

**Q** Vnde ſi duabus rebus natura & ſuppoſito diſtinētiſ, actiones & nomina communia eſſe non poſſunt, ut demonſtrauimus: cùm Christuſ dicat: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: profectō aut falſum dixiſſe Christuſ cogimur conſiſteri, aut panem non natura & ſuppoſito manere diſtinētuſ, ſed vtrumque in corporiſ Christi ſubſtantiam commutari. Quam ratione qui intelliget, niſi ratione omnino careat, aut veritati aperte repugnare velit, negare non potheſt. Quod vel ipſe aduerſit Caluinuſ, cùm ſic ait: Lutherani diuersas res eſſe panem, & corpus Christi afferunt: quomodo ergo aiunt, alterum de altero prædicari? Inepti ſanè faceret, qui iverſem diuersam quidem eſſe ab homine diceret, tamen proprieſ coniunctionem verē hominem dici affirmaret.

C L X X X I I .

**Q** Vid quid, niſi Christuſ Sophiſtico more nos decipere voluiſſe fareantur, ſolum Christi corpus in Eucharistiā eſſe, non autem panis ſubſtantiam, ſub qua corpus latet, neceſſariō concedere cogentur? Re enim aliqua demonſtrata, ſi deciperenolumuſ, id quod oculiſ cernitur, non quod intuſ latet, & occultatur, intelligimus. Neque enim oſtenſo ligno, in quo

quo certè Deus eſt, hoc lignum Deum eſſe, quiſquam dixerit. Quare ſi ſub panis ſubſtantia (ut placet Lutheruſ) Christi corpuſ inuifibiliter latet, ſophiſtice profectō Christuſ id, quod te-nebat manibus, ſimpli articulo Demonſtratiuo, ſuum corpuſ eſſe affirmat: non ſecus, quam qui homine obſeffo à Dæmonē demonſtrato, illum de caelo deſcendiffe, & fuſſe ab initio mundi, conſtanter affirmaret; Dæmonem qui intuſ latet, & ab initio mundi fuit, intelligens.

C L X X X I I I .

**S** Ed & Caluinuſ, quam necessariō ex verbiſ Christi, propriè acceptiſ, noſtra, quam aſtruimus, Transuſtantiaſ ſequatur, luculenter docet. Non conſiſtit, inquit, verbiſ Christi ſimplici as, niſi panis conſeletur in corpus, ut Pontificiū docent. Si enī in pane eſt corpus, conſtat figuratè vocari corpus, quid nimiriū corpus in ſe conſineat, non autem, quid propriè ſit corpus. Deinde ſi panis eſt Christi corpus (ut dicitis) Ergo eſt Deus: eſt enim Christuſ Deus. At eſt intolerabilis blaſphemia, ſine figura de elemento affirmare, quid ſit Christuſ, & Deus. Hæc ille. Idem multis argumentiſ conſirmat Boguiniuſ, Non Dialecticam, & rationem, inquit, mo-dō, ſed etiam omnem Grammaticam tollunt Transuſtantiaſ negantes Lutherani: Verbum enim (Eft) ideo Subſtantiuū dicitur, quia in affirmativa propositio, que conſtat ex vocib⁹ ſignificanti-b⁹ Subſtantiam, indicat eandem eſſe Subſtantiam Subiecti & Pre-di- cati. At iſi panem corpus Christi recte & verē dici doceant, cùm tamen non idem eſſe, ſed diuersiſſimum fateantur.

C L X X X I I I I .

**V**Nicus Aduerſarioſ vrget ſcrupulus, quid minus recte Ca-tholicos affirmare putent, totam ſubſtantiam panis, per vim & efficaciam verbiſ Christi, in conſecratione deperi-re, quid ab Apoſtolo etiam poſt conſecrationem Eucharistiæ panis vocetur. Quasi verò iſi nimium religioſi vi-ri, Christuſ qualis iſte panis ſit, apertiſ verbiſ, apud Ioannem declarante, non audierint, vbi dicit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.

*Apel. 2. contra  
Vſeffidum.  
Quod idem Bo-  
ſerit, contra  
eundem Vſeffi-  
pianum Tract. de  
cena Domini.*

*Caluin. lib. 4. In-  
ſtr. cap. 17.  
parag. 20.*

*In Examini-  
bri Hebraea.*

Ioan. 6.

materiali participare non possumus. Nec si id esset, omnes essemus vnius panis materialis. Corpus ergo Christi, de quo uno omnes participamus, & in quo omnes vnuis panis sumus, necessariò Paulus intellexit. Iam cum alio loco Christi corpus, panem appellat Apostolus, non utique simplicem panem dicit, sed panem illum, de quo immediate ante Christus dixerat, esse corpus suum: quod nostram sententiam confirmat.

C X C.

Lucas 22.

**N**ec maiorem habet difficultatem, quòd tam importunè nobisciunt, calicem cōsecreatum à Matthæo genimen vitis nuncupari. Licet enim concederemus de consecrato calice, ea verba intelligēda esse, cur ea ratione calix cōsecreatus, genimen vitis vocari non potuit, qua sacrificata species panem vocatas esse docuimus? Quanquam neq; illud admittendum esse existimamus. Nam calicem consecratum à Christo genimen vitis non esse vocatum, satis apertè ex Euangelio colligitur. Lucas enim, qui post Matthæum, & Marcum (vt etiā Caluinistæ volunt) scripsit, placè affirmat, illud de calice non consecrato à Christo dictum fuisse. Sic enim Christum ante Cœnam dixisse, Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare vobiscum. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et statim subdit, accepisse item calicem vini naturalis ante Cœnam, & dixisse: Non bibam a modò ex hoc genimine vitis, donec regnum Dei veniat. Et post pauca scribit, post cœnam Christum accepisse iterum aliud calicem, eumque verbis consecrasse, & discipulis dedit, nulla facta de genimine vitis mentione. Sensus ergo verborum istorum est: Non comedam amplius hoc figuratiuum Pascha, nec istud vitis genimen bibam, donec hæ figuræ, per institutionem Sacramenti corporis & sanguinis mei, quod præfigurabant, impleantur. Sic enim Tertullianus, Origenes, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Beda, Theophylactus, & ceteri Patres explicarūt.

C X C I.

Tertull. loc. cit.  
Origen. Homil. 35. in Matthe. Hila. Cano.  
30. in Matto.  
Hil. ad Heud.  
quæst. 1. Theodo.  
D. a. ag. 1. Chrys.  
Homil. 8. 1. in  
Matth. Theoph.  
& Beda in cap.  
22. Luc.

**Q**uod si Patrum omnium sententiam repudiant, certè illud negare non possunt (nisi Lucam mendacij arguant) illa verba

verba de calice non consecrato dicta fuisse. Cùm enim Lucas ultimò scribens, & elucidare volens mysterium, apertè duos calices ponat, & de priore calice vini naturalis illud dictum fuisse affirmet, sicut & de paschate Iudaico: sequitur profectò, Matthæum, cùm nullam fecerit mentionem illius primi calicis, nec tamen illa Christi verba omittere voluerit, illa præpostere scripsisse, quod minimè est ab Euangelistarum consuetudine alienum. Apud Marcum enim in immediate præcedentia verba, præpostere omnino esse dicta, ipsi Hæretici docent, cùm ait, Accipro calice dedit eis, & biberunt ex eo omnes; & ait illis, Hic est sanguis meus. Neque enim priùs biberunt Apostoli vinum, & posteà epotum in eorum stomacho Christus cōsecreauit. Quām ergo iniquum est, & peruersum, hunc locum Scripturæ, per sex loca eiusdem Scripturæ (vbi apertè dicitur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; &, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur) nolle elucidare, cum Ecclesia vniuersa, & Patribus omnibus: sed illis omnibus tam apertis locis, hisce verbis, quæ Lucas de calice non consecrato dicta esse affirmat, co-  
Mar. 14.  
nari tenebras offundere.

## P A R S T E R T I A.

*Lutheranam Consubstantiationem, toti orbi Christiano ignotam semper:  
Transubstantiationis, si non nomen, saltem rem, vniuersæ Eccle-  
sie semper cognitam, & creditum fuisse.*

## A S S E R T I O C X C I I.

**O**R R ò fuisse ignotam penitus Consubstantiationem Lutheranam antiquæ Ecclesiæ; Transubstantiationis verò, si non vocabulum, saltem rem ipsam semper fuisse creditam, ex communi Patrum doctrina, mox innotescet. Panem & calicem affirmat Irenæus percipere verbum Dei, & fieri corpus Christi. Quid quæso est, vi verbi Christi, panis fit corpus, nisi mutatur, seu transubstantiatur in corpus, nisi velis, vt panis fiat simul corpus, &

Irenæus lib. 5.  
sub iustum.

*Lib. contra Marcionem. Luther.*  
*lib. de verbo. Hoc est corpus meum.*

*Serm. de Cana Domini.*

*Catechesi 4.  
Mystagogia.*

*In Liturgia.*

*In vita Moysi. Berim Catecheti-  
co, de deum na-  
tum, cuius me-  
moria Eucl. in  
Panoplia, & Bes-  
faron, t. de ver-  
bu, quibus confe-  
ratio peragitur.*  
*In Sermone ad  
Catechumenos.*  
*a Serm. de En-  
tenu. In Litur-  
gia. Homil. 60. ad  
peccata Antich.*  
*& Homil. 83. in  
Matth. & Serm.  
de Eucharistia,  
Tom. 3. & Ho-  
mil. de preditione  
Iuda.*  
*b Centuria 5. ea.  
4. par. 2. Titul. de  
cena Domini.*  
*c Lib. de ui, qui  
inveniuntur Sa-  
ern, cap. 9.*

pus, & panis esse non desinat? Quid Tertullianus, qui etiam (Lutheri teste) simul Marcioni demonstrat, Christum habere verum, & non phantasticum corpus: *Panis, inquit, figura, seu species, à corpore phantastico sustineri non possunt. Est igitur verum Christi corpus, à quo in Eucharistia sustentatur panis species, non phantasticum.* Quæ & falsa & ineptissima esse, si panis substantia in Eucharistia reperitur, nemo non videt. Panis (ait Cyprianus) quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro. Quid ergo inepte garriunt Lutherus, & Caluinus, cùm effigiem panis manere, naturam mutari, & ex omnipotentia fieri carnem, planissimis verbis doceat Cyprianus? Cyrilus antiquissimus ille Hierosolymitanus Antistes: *Aquam, inquit, mu-  
tauit aliquando in vinum, quod est sanguini proximum; & non erit fide dignus, cui credamus, vinum transmutari in sanguinem?* Et iterum: *Certissimè crede, quod id, quod apparet panis, panis ne-  
quaquam est, licet gustui panis videatur: est enim corpus Christi.* Magnus Basilius inuocat Spiritum Sanctum, vt faciat hunc panem pretiosum corpus Christi. Idem aperte Gregorius Nyssenus fate-  
tur: *Panis (ait) in carnem vertitur.* Et alio in loco: *Quamobrem,* inquit, & nunc Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi cor-  
pus credimus immutari. Et paucis interiectis: *Panis (vt ait A-  
postolus) per verbum Dei, & orationem sanctificatur, non quia co-  
meditur, eò progrediens, vt Verbi corpus euadat, sed statim per ver-  
bum in corpus mutatur.* Sed longè profecto pulchrius rem hanc exemplo, tanto viro dignissimo, illustrat, & explanat, dum ait: *Si panis, quem comedebat Christus, in Diuinum eius corpus naturali  
virtute mutabatur; cur non credimus panem sanctificatum, Diuina  
vi, in idem corpus transmutari?* Deum quoque visibilia elementa in corpus Christi transmutare, scribit Chrysostomus: quod toties tam apertis verbis pronunciauit, vt Magdeburgenses fareantur ingenui, Chrysostomum his verbis Transubstantiationem docuisse. Potior est, inquit Ambrosius, *veritas, quam figura,* corpus Auctoris, quam Manna. Fortè dicas, aliud video, quo-  
modo tu mibi afferis, quod Christi corpus accipiam? Quantis igitur exemplis

*exemplis vitimur, vt probemus, non hoc esse, quod natura formauit,  
sed quod benedictio consecrauit? Virgam tenebat Moses, proiecit eam,  
& facta est serpens; rursus apprehendit canam serpentis, & in vir-  
ge naturam reuertitur. Vides igitur, Prophetica gratia, bis mutatam  
esse naturam, & serpentis, & virgæ? An potuit clarius quicquam  
dici? Et paulò infra: *Quod si tantum valuit humana benedictio,  
vt naturam conuerteret: quid dicemus de consecratione Diuina?* Et  
concludit: *Sermo ergo Christi potuit ex nihilo facere, quod non erat,  
& non poterit mutare ea, quæ sunt, in illud quod non erat?* Et alibi,  
multis probat, non manere panem, post consecrationem, sed  
mutari in carnem Christi, & figuram panis & vini videri, nil  
tamen aliud, quam corpus Christi & sanguinem esse creden-  
dum. *Tu fortè dicas, inquit, Meus panis est visitatus. Sed panis  
iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio,  
de pane sit caro Christi.* Et paulò post: *Ergo tibi ut respondeam, non  
erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico  
tibi, quod iam corpus est Christi.* Item: *Licet figura panis & vini  
videatur, nihil tamen altud, quam caro Christi, & sanguis post  
consecrationem credendum est.* Quæ cùm ex Ambrosio obiec-  
set Lutheri Rex Angliae, nihil quod responderet inuenit Lu-  
therus, præterquam, *Non habere Ambrosium potestatem condon-  
di articulos fidei, errasseque.* Ambrosij tamen sententiam secu-  
tus est Augustinus, idque adeò aperte, vt ea ipsius verba, Illyri-  
cus Sacramentariis obiiciat: quæ sunt hæc: *Caro Christi est,  
quam forma panis obertam, in Sacramento accipimus, & sanguis  
eius est, quem sub vini specie & sapore potamus.* Nec minus clarè  
Transubstantiationem asserit Augustinus, de verbis Domini, *Sermone 28.*  
*Ante consecrationem, inquiens, quod offertur, panem dicit; ubi ve-  
rò Christi verba de prompta fuerint, iam non appellari panem.* At si  
verè panis esset post consecrationem, panis etiam vocari posset:  
sed panis iam dici non potest: ergo panis simpliciter non est, sed  
(vt idem August. in eodem sermone mox subiicit) *transmutatus, id  
est, supersubstantialis.* *Quia non est panis, inquit, qui vadit in  
corpus, sed panis vita aeterna, qui anima nostra substanciali fulcit.*  
In sermone autem, de verbis Euangeli, *Nouerunt fideles, ait;* *i. Cor. 10.**

*Lib. 4. de Sacra-  
mento, cap. 4.*

*Luth. lib. contra  
Regem Anglie  
1. edito anno 22.*

*Ex Gratiano de  
Conser. Diff. 2.  
cap. 48.*

*Citatur à Beda  
O. 2. sciunt*

*Sciunt quid dicam, non erunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. Quo quid firmius, pro Transubstantiatione, dici potuit? Nisi velint Aduersarij, panem fieri corpus Christi, & tamen manere panem. Cyrillus Alexandrinus Transubstantiationem fieri, variis tum ratiomibus, tum exemplis confirmat. Et inter alia, Conuerit (inquit) panem & vinum, in veritatem proprie carnis. Eandem prorsus sententiam habet Eusebius Emensus. Mortalia (inquit) & terrena in Christi substantiam conuertuntur. Quid mirum, si ea, quæ verbo possunt creare, verbo possit creata conuertere? Mitto hic Origenem, Hesychium, Euthymium, Theodoretum, Remigium, Isidorum, Anselmum, Damascenum, S. Germanum, Theophylactum, Nicolaum Episcopum Metonensem, & alios complures.*

*Epist. ad Califforum.**Hortil. s. de Paschate.**Orig. li. 8 contra Celsium, Heijoh. l. 6. in Leta. ca. 2.1. Euthym. in cap. 26. Matth. Thend. Dialog. 2. Polymorph. Remig. in cap. 10. proru ad Corin. Isidor. l. 1. de Offic. Eccles. cap. 18. Anf. Epist. de corpore & sanguine Domini. Damascen. lib. 4. de fide orthod. cap. 14. S. German. in Theorica rerum Ecclesiast. Theophyl. in cap. 2.6. Matth. & 14. Marc. & 6. Iohann. Nuol. Meton. Oratio de corpore Christi.*

## C X C I I .

**H**uc accedit Concilium Vniuersale secundum Nicænum, quod contra Iconoclastas definit, post consecrationem tantum corpus & sanguinem, non panem aut vinum manere. Ut omittam interim Concilium Vercellense sub Leone 9. contra Berengarium, Turonense sub Victore secundo, Turonense alterum sub Gregorio septimo, Constantiense, Lateranense omnium Conciliorum maximum, cuius verba sunt: *Iesu Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Diuina: & Florentinum, Articulo 8. quod ita habet; Virtute verborum, panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem Christi conuertitur.* Pudeat ergo mendacij Caluinum, cum sic scribit: *Bernardi tempore et si durior inualerat loquendi ratio, Transubstantatio tamen nondum agnita erat: cum tamen omnes supra nominati Auctores, longe flouerint ante Bernardum. Neque minus Lutherum mendacij pudeat, qui non minus impudenter, Transubstantiationem tempore Innocentij tertij primò lucem vidisse affirmat.*

*Lib. 4. Institue. cap. 17. par. 15. Lib. de Captivitate Babylonica.*

## C A P V T

## C A P V T S E X T V M .

Quod Christi corpus non sit vbique, neque per vsum iusciipientis in Eucharistia existat, neque unquam inde recedat, dum species saluæ perseverant.

## P A R S P R I M A .

*Quod corpus Christi non sit vbique.*

## A S S E R T I O C X C I I I .

**V**A M ab inerti, & stupida mente profectus sit eorum error, quos ubiquitatem corporis Christi comminisci, & profiteri non pudet; vel ex ista ratione, quæ auctores tam nefandæ hæresis ad eam afferendam, & libris etiam scriptis defendendam, permouit, colligi facile potest. Illa namque ipsa ratione, qua se Christi præsentiam in Eucharistæ Sacramento, quam maxime stabilire putant, Sacramentum hoc augustissimum prorsus conuellunt. Si enim æquè vbique est præsens corpus Christi, non plus profectò in pane consecrato comeditur, quam in pane profano: nec plus in cœna Dominica, quam in cœna communia manducatur. Quod si ita est, inanem profectò institutionem Eucharistæ esse, confiteri compelluntur. *Minimè (inquit Lutherus) inanis redditur institutio Eucharistæ, cum a nobis sumi Christus non debat, nisi ubi se præsentem fore obligauit.* Id verò ridiculum prorsus est. Neque enim se Christus in Eucharistia præsentem fore obligauit, nisi verbo suo. At eodem verbo suo (vt vult Lutherus) declaravit corpus suum præsens semper esse in omni re. Est ergo æqua rerum omnium, atque Eucharistæ ratio; ac proinde, vt est dictum, ociosa, & inanis est Eucharistæ institutio. Nec hīc valeret responsio, si dicerent, De manducando pane Eucharistico, cum quo, vel sub quo est Christus, nos habere præceptum; de manducando verò Christo, in cibis profanis non habere. Nam de cibis his comedendis, ad vitam tuendam

*Luth. in parte 1. Serm. de Eucha- ristia, editi anno 26. qui habetur in Tomo 7. folio 317.*

*Luth. in libro de verbis Domini. Hoc est corpus meum.*

O 3

tuendam , mandatum est non minus , quām de pane Eucharistico. Si ergo , vt ip̄i docere se autumant ex Scriptura , non minus in cibis profanis est corpus Christi , quām in pane Eucharistico , eadem prorsus est ratio vtrorumque. Adde , quod ipsorum sententia , Scriptura Christi carnem reali existentia präsentem esse in pepone , & re qualibet asseuerat : vel ergo sequeretur , realiter cum pane Eucharistico non sumi Christi carnem ; vel realiter etiam sumi cum pepone , & quibuscumque aliis esculentis ; item conculcari cum terra , & esse in inferno cum Dæmonibus , & damnatis.

C X C V .

**N**ec verò solūm Sacramentum tollunt , dum illud conantur statuere ; sed suam ipsorum sententiam dum astriuere volunt , destruunt. Constat enim est Lutheri , & suorum doctrina : In Eucharistia , Christi corpus reali existentia non adesse , etiam post Christi verba recitata , nisi vsus accedat. Quām ergo absurdè (stipites profectō , non homines) asserunt , Christi corpus , reali existentia , necessariò esse in saxo , ligno , & in re qualibet : solūm ea vna in re , in qua Christus corpus suum (vt isti ipsi fatentur) esse affirmauit , esse negare : imò dicere , eo ipso Christi verbo , quo corpus suum esse , quod panis erat , afficit , effici vt cum antea ibi corpus eius esset , tunc primūm esse definat ?

C X C V I .

**S**ed argutos homines in hanc præclaram sententiam , inuitum illud argumentum traxit : *Christus ad dexteram Patris sedet , secundum humanam naturam suam. Si ergo dexteram Patris vbiique esse confitemur , quis negare audeat , & humanitatem Christi esse vbiique?* Præclara sane ratiocinatio , ac prorsus tali digna auctore : qua nimis & nos omnes , & omnes animas vbiique esse , atque etiam omnes dæmones , ad dexteram Patris confidere , demonstrare possit. Neque enim negat Lutherus , nos , & omnes etiam iustorum animas in dextera Dei esse. Si ergo , quia dextera Dei vbiique est , id quod in dextera Dei est , negari non potest , esse vbiique , animæ certè iustorum , & nos omnes

*Luth. in lib. de  
verbis. Hoc est  
corpus meum.*

omnes vbiique sumus. **Q**uin & Dæmones , iuxta istorum sententiam ad dexteram Dei erunt ; cùm alicubi sint , & dextera Dei sit vbiique . Non intellexit Lutherus , posse aliquem esse in determinato loco , & tamen esse in dextera Dei ; & omnes res finitas , quæ necessariò in finito aliquo loco sunt , esse in dextera Dei , cùm illa sit vbiique : ac proinde eam argumentandi formam esse ineptam . Non intellexit demum miser , Patrem non habere verè dexteram , neque sinistram ; per sedere autem ad dexteram Patris , supremam gloriam , qua Christi humanitas à Patre est donata in cælis , esse ab Euangelista explicatam.

C X C V I I .

**A**T Christi (inquit Lutherus) verbum est : *Nemo ascendit Luth. loco in calum , nisi qui descendit de celo , filius hominis , qui est in citato.* celo. Erat ergo tunc Christi corpus in calo , cùm tamen eo tempore in terra fuisse. Quo loco vel maximè ridendum se exponit Lutherus , dum Oecolampodium irridet ; quod cùm constet , secundum Diuinam naturam , Christum neque ascendere posse , neque descendere , illam Christi sententiam , de Diuina natura intelligendam putauerit : non aduertens , vnicum tantum fuisse in Christo suppositum , cui vtriusque naturæ actiones (quæ , vt idem non difficitur , suppositorum sunt) tribuuntur. Quare Christus verissimè dicitur mortalis & immortalis ; mortuus & sepultus , & regnans viuus in cælis ; ascendens , quia eleuata est humanitas ad cælum ; descendens , quia se humiliauit Diuinitas , carnis nostræ assumens naturam. Pudet profectō me , & piget , in his ineptijs confutandis , tempus terere.

P A R S

## P A R S   S E C V N D A.

*Christum Dominum nulli ratione in Eucharistia esse, per ipsum suscipientibus, sed solum per verba, ab ipso institutis.*

## A S S E R T I O   C X C V I I I .

**L**T E R V M nunc dogma inter Lutheranos vulgarissimum, & receptissimum (quo Christum in Eucharistia tantum per ipsum, & in ipso, hoc est, dum sumitur, & vi sumptionis, esse statuunt) nobis vel unico verbo, hoc loco, est confutandum: ut se non mintis errare intelligent, cum Christum, aut in Eucharistia, aut ubique, alterius vi, quam verbi eiusdem, inepte collocare conantur, quam errant, dum verbis Christi omnipotentiam detrahentes, ea illud efficere, quod affirmant, negare non verentur. Nam vel ante omnem sumptionem, seu ipsius, hisce verbis, Hoc est corpus meum, a Christo in Coena prolatis, adfuit corpus Christi, vel non adfuit: si adfuit, cōuenimus, non per ipsum, sed per omnipotens Christi verbum, ante omnem ipsum, corpus Christi sub panis speciebus adfuisse: si non adfuit, plane mentitus est Christus, qui propriè, non figuratè loquendo (vt ipsi Lutherani docent) illud quod habebat in manibus, esse suum corpus, cum non esset, affirmauit. Cum vero etiam Christus calicem illum, suum sanguinem esse dixerit, vt Matthæus & Marcus scribunt, & esse nouum Testamentum, vt afferunt Lucas & Paulus: qua fronte audent Aduersarij negare, esse Christi Testamentum & sanguinem; sed fore, si ab hominibus bibatur? Nam si ita est, Testamentum Christi, & eius veritas, ex hominum pendebit voluntate; vt si nolint exhaustire calicem, nec Testamentum sit, nec sanguis: cum vtrumque tamen esse Christus affirmauerit.

## C X C I X .

**D**Emum, communi sanctorum Patrum, & ipsorum quoque Aduersariorum sententia, sine verbis Christi nullum Sacramentum conficitur. Quod si ergo & hoc illorum dogma admittan-

mittatur, (quod nemo tamen sanus admiserit) Ut Sacramentum quocunque verè Sacramentum sit, requiri etiam, vt attu conferatur, seu administretur, sequitur necessariò, verba proferri debere eo ipso tempore, quo Sacramentum est in ipso. Nam in Baptismo, verbi gratia, quia is consistit in ipso, si quis diceret verba à Christo initituta, Ego te baptizo, &c. & post unam vel alteram horam, aquam adhiberet, baptizatus non censeretur Catechumenus. At ipsi illud minime obseruant in Sacramento Eucharistiae: cum primò verba recitent, deinde una, aut altera hora, interdum tribus, & quatuor post, multitudini & peregrinis Sacramentum distribuant. Quod cum aduerterent nonnulli illorum, diuersa excogitarunt remedia; quibus adhibitis, id consecuti sunt, vt nunquam verum corpus Christi distribuant. Nam aliqui verba, dum distribuunt, lentè admodum pronunciant; alij in fine distributionis verba recitant, quando nimis patnis in stomacho iam est corruptus. Cum autem Christi corpus non adsit, nisi virtute verborum Christi, Hoc est corpus meum, qui inter distribuendum verba protrahunt, antequam illam Christi sententiam absoluant, merum panem porrigunt: qui verò recitant verba post distributionem, eos panem merum dare, ex eadem ratione liquet; præsertim, cum panis, iam in stomacho corruptus, consecrari non possit.

c.c.

**I**Am corpus Christi in Eucharistia collocare potest nemo, nisi qui virtute accepta à Christo, vt instrumentum Christi operatur. Nam vt, teste Ioanne, Christus est, qui baptizat, ita ipse <sup>Ioan. i.</sup> est, qui consecrat. Sacerdos enim, vt instrumentum, Christi virtute operatur, nec Christi corpus ibi, nisi virtute Christi potest collocari. Quam ergo inepte actioni humanæ comedionis, consecrandi, conficiendiq; corpus Christi, potestas attribuitur; verbo autem Christi ab ipso Christo per Sacerdotem, tanquam instrumentum, prolatu adimitur? Impiè profectò comedioni suæ arrogant omnipotentiam, quam denegant verbis Christi.

c.c.i.

**C**erte longè aliter Christi discipulus Abdias loquitur: *Mat-  
thæus* <sup>L. 7. Histor. com-  
tam. Apofstolis.</sup>

*L. t. 1. Ep. H. r. p. 2. c. 3.*  
theus (inquit) *Apostolus corpus Christi in Eucharistia efficit* Pauli  
verò auditor Dionylius, *Pontifex*, inquit, *sacerdos sancta Mysteria*  
*conficit*. Et in fine exprestis, per effectrices preces consecrationis, fieri  
*corpus Christi*, affirmat. *Thelephorus quoque 1500. circiter ab*  
*hunc annis, Sacerdotes proprio ore corpus Christi confidere dicit.*  
*Iustinus verò Polycarpi auditor. Sicut per verbum Dei factus est,*  
*inquit, homo Christus, ita etibus iste fit Christi corpus, consecratus*  
*per preces sermonis, quem à Christo acceptimus. Eucharistizatum*  
*panem, sicut in quo gratiae aet. e sunt, hoc est, consecratum panem et ver-*  
*bis corpus Christi esse*, affirmit Irenaeus. Et iterum: *Panis, cum per-*  
*cepit Dei vocacionem, fit Eucharistia corporis Christi. Acceptum*  
*(inquit Tertull.) panem, corpus suum illum fecit, dicendo, *Hoc est**

*corpus meum. Origenes*<sup>a</sup> *etiam, panem per precem fieri sanctum*  
*quoddam corpus: & Pontianus*<sup>b</sup> *Papa, & Martyr, Proprio ore Sa-*  
*cerdotes corpus Christi confidere, docent. Ac ut modus aliquis sit*  
*in citandis Patribus, sic etiam sentiunt, Cyprianus, Felix Papa*  
*& Martyr, Cyrillus Hierosol. Gregorius Nyssenus, Basilius,*  
*Damasus, Ambrosius, Theophilus Alexand. Chrysostom. Hieron.*  
*August. Eusebius Emissenus, S. Proclus Chrysostomi discipu-*  
*lus, Cyrilus Alex. Theodor. Hesychius, Gregorius Ma-*  
*gnus, Damascenus, Beda, Theophilactus, Bernardus.*

*Basil. in Liturgia. Damasc. epist. 3. & 4. Ambros. lib. 4. de fide cap. 5. & lib. de benedict. Patris chancrum cap. 9. & in Psalm. 38.*  
*& lib. 4. de Sacramento exp. 4. & 5. Theophil. Alex. lib. 1. Paschal. Chrysost. Hom. 1. de predicatione Iude. Homil. 60. ad pop. Antioch. lib. 3. de Sacerdotia. Hom. 2. & 83. in epist. ad Timoth. Hermogen. epist. ad Heliodorum. Epist. ad Euagrum, & in cap. 2. ad Tit. August. epist. 19. quies. 5. lib. 7. de Trinit. cap. 4. lib. 20. *ad Faus.* Epist. 13. & contra Donatist. lib. 5. cap. 27. lib. 3. cap. 18. lib. 6. cap. 25. & Ierm. 8. de verbis Domini. Eusebius Emissenus Homil. 5. de passione Domini. I ratiōne de traditio-*  
*nione Divina Liturgia. Cyril. Alex. lib. 11. in Ioannem cap. 22. Theos. Dialogo 2. Hesych. lib. 2. in Leuiticum cap. 8. & 9.*  
*& lib. 6. cap. 22. Gregor. 4. Didog. cap. 58. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 14. Beda in 1. cap. Ioann. Theop. 1. in cap. 40.*  
*Marcus. Bernard. Serm. de Cana Domini.*

## C C I I.

*Luth. Serm. de*  
*Eucharistia an-*  
*26.*  
*Lib. de Missa*  
*primitiva.*

**C**VM quibus et si Lutherus ex diametro pugnat, tamen non  
semel vi veritatis abruptus, prorupit in verba huiusmodi:  
*Quām primum Minister dixit, Hoc est corpus meum, dicto citius*  
*corpus Christi praeſto est: quemadmodum Virgo per verbum conti-*  
*nuo facta est grauida. Quin adeò quandoque raptus fuit, ut af-*  
*firmaret: Si Diabolus proferret illa verba, ad futurum continuo cor-*  
*pus Christi. Desciscunt tamen à Magistro suo Kemnicius, Hes-*  
*husius*

husius, & Illyricus, & nostræ, Patriumque sententiæ viciniora  
loquuntur. sed ne idem omnino nobiscum sentiant, mox in  
modo, quo Christum aduenire dicunt, inter se dissentire, &  
inepti incipiunt, vt supra primo Cap. est ostensum.

## P A R S T E R T I A.

*Quamdiu species salutis, & incorrupte permanent, Christi corpus, & sanguinem*  
*in Eucharistia vere adesse, dubitare nemopotest, qui de Christi*  
*veritate non ambigit.*

## A S S E R T I O C C I I I .

 **H**RISTVS Dominus, quando dixit, *Hoc est*  
*corpus meum, non praefixit tempus ullum, in*  
*quo haec propositio vera esse deberet, aut falsa*  
*esse inciperet. Nulli ergo hominum licet praescribere tempus, in quo sit vera, quoque elapsa,*  
*falsa esse incipiat.*

## C C I V .

**A**ccedit, quod verbum Christi est, secundum Lutheranos, *Hic panis est corpus meum. Quām ergo impium*  
*est, asserere, post haec verba prolata, hunc eundem panem non*  
*esse corpus Christi? At coguntur id asserere, si post verba pro-*  
*nunciata, pane adhuc durante, definit esse corpus Christi.*

## C C V .

**P**rettereà, si manente pane, aliquando recederet corpus  
Christi (vt Kemnicius, Illyricus, & Heshusius affirmant)  
cum ex Scriptura non constet, quo tempore recedat, nullus  
profectò hominum scire posset, vel vnicum momentum, in  
quo Christus in Eucharistia certò esset.

## C C V I .

**Q**Vid, quod Augustinus, & Cyprianus, multis rationibus  
probant, post actionem Sacramenti cuiusque manere sem-

*August. lib. 19.*  
*in Faustum cap.*  
*16. & Tract. 8.*  
*in Iannem.*  
*Cyprian. Serm. de*  
*Cana Domini.*

per Sacramenti effectum? Nam post Baptismum manet eius  
effectus in anima, quo homo manet semper baptizatus; sic

etiam verè ordinatus &c. Igitur & in Eucharistia manebit semper eius effectus. Cum autem effectus Eucharistiae sit præsentia corporis Christi (est enim forma, Hoc est corpus meum) manebit profecto semper illud Christi corpus.

CCVII.

**D**eum cùm fateri debeant, nisi Christum mentitum esse affirmare velint, (vt suprà demōstrauimus) cùm Dominus protulit verba, Hoc est corpus meum; etiam ante quām illud porrigeret discipulis, verè eius fuisse corpus: si aliquando inde recederet, manentibus saluis speciebus, nunquam aliquis esset certus, communicaret necne; quandoquidem an iam Christus recesserit, meritò posset ambigere.

CCVIII.

**I**Am verò Iustinus <sup>a. Apologia 2. cap. 3.</sup> Martyr ante 1400. annos, morē sui temporis affirmat fuisse, vt post communionem deferretur à Diaconis ad infirmos Eucharistia. Et eius ferè équalis <sup>b. Debet, suerte fuit Barnardus li. 5. ca. 47. & Iue Carnis, in parte 2. cap. 36. & Grat. de coniug. d. 2. can. 27. Ite. Epif. ad Uiderem, & refer. Euseb. lib. 5. huius ca. 14. secundum Rufius ver. sionem.</sup> Pius primus constituit, vt diligenter Sacrarium, in quo Eucharistia affiruatur, custodiretur, pñamque negligentibus imposuit. Irenæus, Romanos Pôfices, qui Victorem præcesserunt, Anicetum, Pium, & Higinium, Episcopis ex Asia, & aliis orbis partibus venientibus Romam, Eucharistiam sollenniter transmittere consueuisse affirmat. Quòd si Christus sub speciebus non remanet, dum species sunt, sed recedit, quorsum panis pro corpore Christi, & ad infirmos, & ad Episcopos transmittitur? Quorsum in sacrario affiruatur? Quorsum dabatur olim dominum asportanda fidelibus Eucharistia, vt in arculis custodirent, & quoties vellent, sumerent? Quod Tertull. factum esse suo tempore sâpe docet, idémque non obscurè indicant Cyprianus, Clemens Alexandr. & Origenes. Sed & verbis expressis idem, quod nos, apertè docet Cyprianus: Nec <sup>c. vlo modo,</sup> inquit, *Divina se absentat Maiestas mysteriis.* Et ibidem clarius: *Sermel<sup>d</sup> consecratum panem, nemo secundò consecrare audet, quia contumeliam scimus esse Spiritus sancti, credere, euacnari posse, quod ille sanctificat.* Idem habet lib. De spectaculis, & Serm. de lapsis. Petrus Rauenensis, qui anno 540. floruit (vt refert Greg.

Greg. Magnus) secum tulit Eucharistiam, & ea miraculum stupendum patrauit. Nicæna etiam Synodus <sup>e. can. n. 14. & 64.</sup> illa prima vniuersalis iubet, *Vt semper afferuetur pro infirmis Eucharistia in Sacrario: & Si Presbyter non adsit, Diaconus porrigat:* ac denique, *Vt diligentissime custodiatur.* In quinta verò Synodo generali, pendere solitam Eucharistiam super altare in columba aurea, afferitur. Basilius longa consuetudine confirmatum fuisse ait, vt afferuaretur Eucharistia domi, à quolibet etiam plebeio: & omnes in eremo solitariam vitam agentes, communionem seruare, & scipios communicare solitos. Idem afferunt, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Ambrosius, Optatus Mileuitanus, Paulinus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Beda. Cyrillus verò Alexandrinus etiam insanos vocat, qui contrarium afferere non verentur. Bernardus quoque multa miracula per Sacramentum Eucharistiae afferuatum patrauit. Denique totam antiquam Ecclesiam afferuare Eucharistiam solitam, ipse etiam Caluinus inuitus fatetur.

<sup>epif. ad Rufium Epic. Narbon. Item in Apol. contra Iouannium. Chrysost. epif. ad Innocent. P.P. Et refertur ad Nicoph. lib. 13. ca. 19. August. lib. 19. contra Faust. cap. 16. Tract. 8. super Iean. li. 2. can. epif. Parmeniani. ca. 6. Serm. 1. 52. Beda 4. hisp. Eccl. ca. 24. Cyril. Alex. epif. ad Calo. Bern. ut refertur li. 1. vita eius, ca. 10. li. 2. ca. 3. & 6. & 6. 4. ca. 4. & 5. Calu. li. 4. Instit. ca. 17. pars. 39.</sup>

## CAPUT SEPTIMVM.

## De Adoratione Christi in Eucharistia.

## P A R S P R I M A.


Non minus in Eucharistia, quam in cælo Christum esse adorandum, ex Scriptura docetur.

## ASSERTIO CCIX.

**Q**VIDEM, vtrā miranda magis sit, nescio, Sacramentarijūne perfidia (qui cùm probè sciāt, Patres, & Doctores omnes, & vniuersam Dei Ecclesiam, Christum semper in Eucharistia Sacramento adorasse) malunt tamen & eam Idolatriæ condemnare, & illos tanquam Idololatras ē cælo deturba-re, quam Eucharistiam rectè ab vtrisq; adoratam esse, confiteri;

P. 3. an po-

<sup>Melanct. in suo iudicio de Cana. Cofess. Westm. berg. edita an. 70 propos. 115. Illyr. in Apol. pro Conf. Antwerp. ad c. 14. & lib. 1. cont. Sacrament. edit. an. 74. part. 3. ad obiect. 3. Luth. ad fratr.</sup>



<sup>f. Basil. epif. ad Cesa. Patriuciam.</sup>

<sup>Greg. Nazian. in oratione funebri fororu. Amph. in vita Basiliij. Ambr. in oratione funebri de exstirpatru Satyri. Oct. 4. 2. contra Donatist. Paulinus in vita Ambrozy. Hier. in fin. epif. ad Rufium. cum Monach. & epif. ad Rufium Epic. Narbon. Item in Apol. contra Iouannium. Chrysost. epif. ad Innocent. P.P. Et refertur ad Nicoph. lib. 13. ca. 19. August. lib. 19. contra Faust. cap. 16. Tract. 8. super Iean. li. 2. can. epif. Parmeniani. ca. 6. Serm. 1. 52. Beda 4. hisp. Eccl. ca. 24. Cyril. Alex. epif. ad Calo. Bern. ut refertur li. 1. vita eius, ca. 10. li. 2. ca. 3. & 6. & 6. 4. ca. 4. & 5. Calu. li. 4. Instit. ca. 17. pars. 39.</sup>

*Valdenses adorant Euch. in Tom. 7. Germ. co. Valdente. 3. edito ann. 14. & Epist. ad Lector. in Tom. 9. & 10. deuterog. Mif. sa praeceps. & ceteris Tract. 3. de ratione Paparum. Saxon. 9. Tigurini. in Apo. 16. 21 contra Arianos. Luth. confessio. quare adiudicant anno 45.*

an potius Lutheranorum impietas, qui, cum Christum in Eucharistia presentem esse fateantur, illum tamen nec adorari, nec illa prorsus reverentia maiori quam profanum panem affici debere, affirmant. Vtrumque profecto impium satis, hoc tamen insuper tam est stupidum, ut id non Catholici modò, sed Sacramentarij etiam ipsi rideant, explodant, multisque argumentis coarguant. Capitales certe Eucharistiae hostes Tigurini: Thom. inquit, verum Christi corpus contrectat, ac in genua prouolutus adorat, dicens, Dominus meus, & Deus mens. Sanctæ illæ mulieres, quæ Dominum resurgentem videre meruerunt, & Apostoli omnes, ante, & post resurrectionem, vident, prostratiq; colunt.

*Quod si nos Dominicū panem naturale Christi corpus esse credemus, illud certè, cum Papistis, fideliter quoque effemus adoraturi.*

## C C X .

*Wipph. in lib. edit. ann. 57. cont. Ioh. à Lat. fol. 92. pag. 2.*

*Brent. in Apo. conf. V. Vitib. Buc. in Abac. cap. 1. Ritu. Confessio. Saxon. edita anno 1551. ca. de Cor. na Kemnici. p. 2. Examen. cap. 5.*

**V**erum hic in primis optandum videtur, ut Lutherani qui Sacramentariorum dictis parùm mouentur, suos faltem Doctores audiant. Non idolum adoramus, inquit VVestphalus, non panem colimus, sed Christum presentem adoramus. Idolatria Deo fr. inuenit, honores enim illi suos denegat, alijs confert, fraudis praeterea addit contumeliam. Sic Brentius quoque, Bucerus, Kemnicus, & Saxonica confessio Christum in Eucharistia, & vbiunque cum esse constiterit, adorandum prædicant.

## C C X I .

*Iust. in cap. 47. Genes. 11. cont. artic. Leoninus. artic. 16. & libro de verbis. 12. qd corpus meum. Tom. 7. infra- mula Mag. 2. Tom. 2. Lib. ad VValdens. de aia. & invenit.*

**Q**uod si hos etiam contemnunt, certè Lutherum, cuius doctrinam cælestem esse prædicant, respuere non debent. Qui vt in omnibus ferè suis scriptis docet, Eucharistiam esse adorandam: ita in libro ad VValdenses (in quo quasi quodam inuidiæ astu abreptus, Eucharistiae adorationem maximè oppugnat) postquam eò progressa audacia est, vt liberam esse adorationem docere non vereretur, continuò quasi sedatis perturbationum fluctibus, compositisque moribus animi, ad faniorem mentem reuersus, sic loquitur: *Qui non credit corpus Christi in Eucharistia esse, recte facit, si nec corporaliter, nec spiritualiter adoret: sed qui credit, quemadmodum credendum esse abunde ostendimus, certè non potest corpori & sanguini Christi, sine peccato, suam reverentiam denegare.*

Sed

## C C X I I .

**S**ed quoniam nec his quidem suorum monitis acquiescent, Stationibus in Scriptura fundatis, eandem veritatem, vel ab inuitis extorqueamus. *Non Iesus (inquit Basilius) a l. or. andum requiritur. Deum enim Moses in medio mari exorauit, Job in fieri quatinus, Ezechias in lecto, Huremias in luto, Daniel in lacu, Ionas in ceto, puer in camino, Iustus in cruce, Petrus & Paulus in carcere. Igitur & tu ubique ora Deum.* Atq; id nos, non solum Paulus exemplo, sed etiam verbo dicunt: Volo, inquit, viros orare in omni loco, leuantes a l. Deum puras manus. David verò, In omni loco (inquit) dominationis eius, benedic anima mea Domino. Et Dominus ipse in nouo Testamento, quid aliud vult, quam Deum in omni loco adorandum esse, cum ait: Muher, crede mihi, venit hora, & nunc est, quando nec in Hierusalem, nec in monte Garizim adorabitis Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Sed neque illum Lutheranorum (qui tamen idololatra reputari nolit) fore puto, qui si sub quacunque visibili forma Deum sibi vbiunque adesse cerneret, expectandum putaret nouum præceptum, vt ibi illum adoraret, sed quam primum se adorabundus, nulla noui præcepti audita mente, prosterneret.

## C C X I I I .

**N**eque (vt credo) Abraham, Jacob, Mosen, & Heliam, tanquam perditos idololatras condemnandos esse dicent, quod (vt Scriptura testatur) Abraham quidem in eo loco, vbi ei primù in apparuit Deus, altare continuò (sine alio præcepto) erexit, nomenque Dei ibidem inuocauit, & eum locum in signum eius rei Bethel, hoc est domum Dei, appellauit, redireque eò ad orandum (quoties licuit) consuevit: Jacob verò & Moses, cum primum illis Deus apparuit, nullo expectato adorandi præcepto, ad orationem in genua procubuerunt. Sed neque populum idololatras credent, qui toties (iniussu Dei) adorauit, quoties columnam nubis Arcæ Dei insedisse, in Exodus legimus. Quin Deus ipse in eo, quo apparuit loco, aliquando ado-

*Gen. 12. 15.  
& 17.**Gen. 28. & 31.  
Exo. 34.**Exo. 33.*

do adorationem exegit. Solue, inquit, calceamenta pedum tuorum: terra enim in qua stas, terra sancta est. Si ergo recte sanctos illos Patres fecisse dicunt Aduersarij, quod Deum, ubi cunque illum, & sub quacunque forma conspexissent, adorarunt, nullo accepto adorandi nouo præcepto: qui tam constanter in Eucharistia Christum esse confitentur, esse tamen adorandum pernegrant, an non Christum Deum esse plane diffidentur; aut certe non Christi Dei nostri, sed alterius noui Christi corpus, quod Dei non sit, in Eucharistia collocant?

C C X I I I I.

Illyr. in Apolog. pro confess. Ant. cap. 14. Cal- uin. 4. Influs. cap. 17. par. 2. 4. B. 74. li. contr. Helder. 1. Ioan. 4. Conc. Ephes. in epist. ad Nefer. Nazar. epist. ad Cledan. Hil. 8. de Trinitate. Nicol. Episop. Meton. causa libet extat cū Liturgia Gra- ca. Sexta Syn- dus Trullanus in prece. Cyril. lib. 4. in Ioann. cap. 15. Ambros. lib. de Myst. cap. 9. & Psal. 113.

**S**ed affirmare non dubitant Illyr. Calvin. & Beza, in Euchristia Christi carnem à Diuinitate separatam reperiri; humanitatem autem adorandam non esse inter omnes constare. At istud esse planè Christum soluere, esseq; meram Antichristi doctrinam, & Ioannes scribit, & Ephesinū vniuersale Concilium docet, & ex totius Ecclesiæ sententia Nazianzenus pronunciat. Cui adstipulatur Hilarius, Nicolaus Metonensis, sexta Synodus vniuersalis, Cyrillus & Ambros. Ratio verò id ipsum euidentissimè demonstrat; quia longè facilius est concedere, animam à corpore, & sanguinem ab utroque, quàm Diuinitatem ab alterutro eorum separari posse. Nam illud in passione contigit: hoc verò neque contigit, neque contingit vñquam. Hoc enim modo & duos Christos statueremus, & verum Christum mendacem efficeremus. Anima enim & corpus Christi cùm vnicum habeant subsistere personæ Diuinæ, & propria careant subsistentia: profectò à persona Diuina auissa, quo se in rerum natura sustentent, non habebunt. Quod si illis alia diuersa à Diuina subsistentia detur, poterit quidem corpus in natura subsistere, ac corpus Christi esse non poterit, sed eius creaturæ corpus censembitur, cuius subsistentia subsistet. Falsa igitur necessariò verba Christi erunt, Hoc est corpus meum, quia non iam corpus hoc esset Christi creatoris, sed alterius Christi creaturæ.

C C X V.

**A**T de adorando Deo præceptum esse, non item de Christo ado-

sto adorando causabuntur. Id verò quàm falsum sit, illæ Prophetæ de Messia voces testantur. Adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et Apostolus, In nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Neque id, qui intelligit, quid sit hypostatica inter naturam humanam & diuinam vno, potest inficiari. Si enim vnicum est Dei, & Christi suppositum; profectò si Diuinum adorare præcipimur, etiam Christi (cùm sit omnino idem) Diuino cultu afficere iubemur.

C C X V I.

I. psal. 11. psal. 71. Phil. 1.

**V**Eruntamen illam vocem repetunt, & inculcant frequenter: Vt cunque res habeat de hoc, quod Christus in Euchristia possit adorari: cùm adoratio (quæ actus est religionis, fidem habens annexam) certo inniti debeat præcepto, nullum de eo in Euchristia adorando, in Scriptura præceptum repetiri. Quasi verò, cùm Deus aliquid pium & licitum in genere præcipit, aliud nouum de eadem re præceptum, hoc vel isto loco, huic vel illi personæ exhibenda, imponere consueuerit. Iubet Deus honorare parentes in genere: an præceptum aliud condendum erat, quo hoc loco, vel huic parenti obtemperandum esse mandaret? Cùm ergo habeamus præceptum hoc in genere, Dominum Deum tuum adorabis; & de Christo, Adorent eum vniuersæ familiæ gentium: quam ob causam peculiare præceptum condendum erat, vt Deus, aut Christus hic, vel ibi adoretur?

C C X V I I.

Luth. in lib. ad Waldenf. 4.

**D**Enique cùm de adorando in cælo Christo, non extet clarius præceptum, quàm de eodem adorando in terris (xquè enim dicit Apostolus tam de terrestribus, quàm de cælestibus, In nomine Iesu, omne genu flectatur) ne in cælo quidem sine idolatriæ scelere adorari posset. Multò verò minus ambitionis suspicione caruisset Christus, qui se à Ioanne in vetero virginis, à Magis in stabulo, à leproso in via, à Thoma in cœnaculo, à cœco nato Hierosolymis, ab Apostolis in Galilea adorari permisit, nec vñquam eorum quempiam vel ad-

**Q**monuit,

Ioan. 9.

monuit, vel reprehendit. Quod si blasphemum est dicere; reprehensione ergo digni non erant, qui eum adorabant. Cur igitur, cum quolibet tempore & loco, licet Christum, sine novo præcepto, adorare, in Eucharistia non licet?

C C X V I I .

**N**on est, inquit, in Eucharistia, ut adoretur, sed ut comeditur, collocatus? Sit ita sane; quamvis & id falso esse, mox ostendam. Numquid & in præsepio, ut adoraretur reclinatus fuit? An in cruce, ut cultu Diuino coleretur, suspensus? & tamen Christum in præsepio Magi, in cruce mundus adorauit, & nunc etiam adorat.

C C X I X .

*Hesil. 5. de Paschate.*

**V**erum, quod assumunt, examinemus. Id certè ut concedamus, non patitur Cyprianus, qui à Christo hoc Sacramentum, propter religionem, institutum esse affirmat. Quod planius Eusebius dixit, *Eucharistiam institutam esse à Christo, ut in ea ingiter coleretur*. Quam sententiam procul dubio à Paulo acceperunt, qui Eucharistiam ad annunciam Christi mortem, esse institutam ait; non quidem eo modo, quo Iudei rei mortis Christi eam representarunt, sed cum ea gratiarum actione, adoratione & reverentia, qua pars est Dei, & Domini nostri, in suo corpore proprio præsentis, pro nobis suscepit mortem recolere, & repræsentare.

C C X X .

*2. Thef. 1.*

**H**uc spectat, quod Apostoli sacram hostiam adorandam populo & proposuerunt, & proponendam esse, non scripto solum, sed & traditione posteris commendarunt. Nec enim aliud respicit illud Pauli, quod de Antichristo scribit, sessurum illum in templo Dei, ostentantem se Deum esse: ut, scilicet, hoc modo se opponat, & substituat Christo, & adoretur ab ijs, qui Christum monstratum in eleuatione Sacrificij adorarunt. Eam enim vim habet dictio Græca ἀπόδεινύτα, qua vtitur Paulus, ut aliquid externum apparere, significet, quod monstretur, & adoretur, ut Deus.

Irenæus

C C X X I .

**I**renæus sane, sicut ex allusione templi Hierosolymitani, templo Christianorum interpretatur, in quo sit lessurus Antichristus: ita ex allusione ad sacrificium Iudeorum, sacrificium Christianorum, & eleuationem eius exponit, quod ille iniquus pessundabit, & se loco Christi sufficiet, ostentans se, tanquam sit Christus, & Deus. *Tentabit (inquit) Christum sé ostendere, sicut Daniel ait: In dimidio hebdomadis, tolletur Sacrificium, & eleuatio, & erit abominatione desolationis.* Quam abominationem Christus Antichristi esse declarauit. Eandem eleuationem, & ostensionem explicat Basilius, eamque non nisi ad Apostolorum

*Lib. 5. Daniel 9.**Liber. 27.*

traditionem posse referri affirmat: idque comprobatur Liturgia S. Iacobi Apostoli, qui id fieri præcipit. Confirmat id & Diony- sius ille Pauli discipulus, dum sic scribit: *Pontifex Diuina mune- ria laude prosecutus, sancta mysteria conficit, & venerandis operata, & abdita signis, in conspectum agit.* Quo loco verbum ἄποδέξας nihil aliud, quam ostendens significat. Idem fieri Bas. & Chrysost. præcipiunt. Idem Ephesinum Concilium seruatum semper fuisse docet: cum explicat, ea eleuatione, Christi in crucem exaltationem & resurrectionem è sepulchro, & ascensionem ad cœlos enunciari. Testatur hoc ipsum vel barbarorum Aethiopum Missa, ex lingua Aethiopica, non ita pridem in Latinam conuersa, quæ sacram hostiam ostendere iubet, clamareq; Sa- cerdotem præcipit: *Domine Iesu Christe miserere nostri. Surgite ad adorandum, humiliate capita; hic est vere corpus, & sanguis Emanueli Dei nostri.* Quod non parum confirmant illa Psalmista verba, suprà recitata: Erit memorabile triticum in terra, in capite montium: & illa alterius Psalmi, iuxta nostram Translationem; Calicem salutaris accipiam, quæ paraphrasis Chaldaica sic redit: *Calicem redemptionis leuabo, mundo venturo.*

*Cap. 3. Euseb. Hieron.**In Liturgiis.**Psal. 77.**Psal. 115.*

**E**t ne diutiū inepitijs istorum confutandis immoremur, miranda est profectio istorum hominum stupiditas, qui ne- scientes, de quibus affirmant, nec intelligentes, quid sit adorare; non aduertunt, se id ipsum, quod affirmant, negare. Nam Chri-

Q 2 stum

stum quidem verè præsentem in Eucharistia credere, illumque  
piè & deuotè, & prout ab homine fieri potest, dignè (vt Paulus  
loquitur) suscipere iubent; & tamen illum adorari prohibent.  
Quæ dicta secum pugnare, facile quiuis perspiciet, si breuissi-  
mè, quid sit Adorate, explicauero.

## P A R S S E C V N D A.

*Christum in Eucharistia, latræ cultu, venerandum & ade-  
randum esse, ratione probatur.*

## A S S E R T I O C C X X I I I .

**D**octore Christo, adorationem veram in spiritu & veritate fieri debere didicimus. Cùm enim Deus spiritus, & veritas sit, iis, qui eum in spiritu & veritate adorant, delectatur. Hinc sit, vt si vel solo mentis assensu detrahitur aliquid de Dei natura; vel si contrà aliquid ei falsum attribuitur, aut quipiam illi peculiare ad rem aliam transfertur: etiam si eius impietatis nullum externum indicium detur, vera tamen idolatria sit: quod nimirum Deus in veritate non adoretur. Sin à falsitate, animique idolo sit progressus ad actionem externam, hoc tantum idolatriæ accedit, vt deregatur. A falsa enim deo imaginatione idolatria nomen accepit, à qua externæ actiones, tanquam à fonte riui, promanant. Quod si os, & manus, & totum corpus, veris & legitimis cæremoniis nauant operā, mens autem aliena est à Deo, nequaquam vera latræ exhibitur Creatori; quia non adoratur in spiritu. Neque enim in spiritu adorat, qui per hypocrisim exterius veneratur, sed id interius animo non exhibet. Nam & Deus ipse de talibus queritur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quanta igitur blasphemia est, illum, cui potissimum latræ cultum, & honorem impendas, indignum iudicare, cui minorē, exteriorem videlicet, deferas? Si puer Regius, inquit Chrysostomus, purpura, & diademate ornatus, tibi ferendus trade-

March. 15.  
I Iai. 22.

Homil. 24. in  
I ad Corin.

traderetur: nonne omnibus humi abiectis, illum susciperes? Verum nunc, cùm non hominis Regium puerum, sed vnguenitum Dei filium accipias, dic quæso, non horrescis?

## C C X X I I I .

**C**VM ergo Lutherani iubeant cum Paulo, illum Diuinum panem à profano mente lecernere, & in eo Christū Deum verum, & hominem præsentem perpendere: nec hoc contenti, præcipiant etiam, Christum eo animo, quo decet Dei Maiestatem, à tam vili creatura suscipi; eaque susceptione memoriam passionis eiusdem Dei & Domini nostri, cum ea, qua par est, gratiarum actione, recoli: quid quæso, dum hæc iubent, aliud faciunt, quām præcipuam adorandi in spiritu & veritate formam præscribunt? Adorandum igitur dum negant Christum præcipuo cultu adorandum afferunt.

## C C X X V .

**Q**uòd si rationi needum acquiescant Aduersarij, moueat eos saltem admonitio Pauli, qui corpus Domini ab aliis cibis siueb̄ mente discernere: vt cùm agnouerit, qui ad sacram mentam accedit, illum cibum, quem comedere debet, verum esse Deum, se ipsum prius prober, consideretque dignusne sit, qui talem recipiat hospitem. At quis quæso Deum in sacra illa hostia contineri sciens, séque non modò natura miseram creaturam, sed peccatis longe fædissimam esse perpendens, cum summo timore & reuerentia ad eius Maiestatem non accederet?

## C C X X V I .

**I**psa certè hæc Pauli verba, (Non diiudicans corpus Domini) satis indicant sumimam erga hoc Sacramentum venerationem requiri. Quæ verba exponens Chrysostomus, ita scribit: Non diiudicans, hoc est, non considerans magnitudinem propositorum. Nam si didiceris diligenter, quis sit propositus, ēr cui se exhibet, alterius non indigebis. Eiusdem hanc sententiam (Probet autem seipsum homo) considerans Cyprianus, Id, ait, propterea dixit Apostolus, vt cum timore & tremore Eucharistum sumamus. Basilius vero, cum quanto tremore sumendum sit corpus Domini, Apostolum explicasse affirmat hisce verbis: Qui man-

Basiliss in re-  
gula 172.

Q 3 ducat

ducat indignè, iudicium manducat. Nec Augustinus meliorem poteſt inuenire rationem metiendi honorem, & cultum, quo ad altaris Sacramentum veniendum fit, quām ex eo, qui corpori Christi, præſenti in terris, dum viueret, impensus eſt, ſequē in hoc habere Paulum auctorem gloriatur. Sic enim, poſt multa in hunc ſenſum, ſcribit: *Inde Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à ceteris cibis, teneratione singulariter debita. Continuò quippe, cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit, addidit, Non dijudicans corpus Domini.*

C C X X V I I.

**Q**uid quōd, dum Apostolus ait, Qui manducat indignè, iudicium manducat, non dijudicans corpus Domini, grauitatem culpæ ſumit ex magnitudine obiecti, hoc eſt, rei, quæ ſumitur, ex dignitate nimirum corporis Domini? Indignè enim illum accedere iudicat, qui non accedit eo modo, quo decebat eum accedere, qui illud ſcilicet, ad quod fuſcipiendum accedit, corpus Christi eſte, non perpendit. Cūm ergo tali ac tanto obiecto, nempe corpori Christi, omnis honor & gloria, interna & externa, debeat, qui dignè accedere vult, omniem, quam mens humana capere poſt, & externam & internam reuerentiam adferat, neceſſe eſt.

C C X X V I I I.

**Q**VAM ergo ineptè Aduersarij inferunt, Apostolos non adoraffe ſacram Euchariftiam in Cœna, quōd eos ē mensa surrexiſſe, & in genua proculbuſſe non ſcriperint Evangelistæ? Sed quanto ineptiū concludunt, propterea nec à nobis eſte adorandam? Si enim, quia Apostoli, cūm diſcumberent, non surrexerunt, & flexis genibus adorauerunt Euchariftiam, ideò eos minimè illam adoraffe conſequens eſt: profectò etiam diſcumbentem infirmum, vel Deum in cælo, vel Christum in Euchariftia adorare poſſe negabimus. Quod ſi ſtultum planè eſt, & illud profectò erit, vnde hoc effici putauerunt. Cūm ergo perfectissima eum à nobis adorari latria poſſe, & debere conſter, in quo excellentiam Diuinam agnoscimus; in quo ſpem, & fiduciam noſtram, tanquam in ultimo fine, collocaamus: certe ſi

tē ſi, vt aduersarij ipſi non negant, Apostoli crediderunt dari ſibi in Sacramento Christum Deum, in quo totam ſpem habebant collocatam, perfectissima eum latrīa adorauerunt. Adde, quōd eo ipſo, quōd ſcimus Apostolos dignè ſumpſiſſe Euchariftiam, non dubitamus eos adoraffe: cūm aperte Paulus ſcribat, eos eſſe reos mortis æternæ, qui ad Cœnam hanc, quaſi ad communias epulas accedunt, fine delectu corporis Domini. Nam & Augustinus expreſſe dicit eos peccare, qui non priuſ adorant carnem Dominicam, quām illam manducent.

C C X X I X.

**S**ed demus ſanè illis, Apostolos tunc, cūm diſcumbebam, obſlatam ſibi Euchariftiam minimè adoraffe. Quia obſecro conſequentia, ex eo facto, Euchariftiam nullo vñquam tempore, adorandam eſte euincere. Eodem enim arguento, Christum extra Euchariftiam nullo vñquam honore afficiendum eſte, concluderent: ſiquidem neque mensa ac cumbeſtentem Apostoli adorauerunt. Quod quia negare non poſſunt eſſe blaſphemum; fateantur etiam neceſſe eſt, ſtultum prorsus eſte, aſſerere Euchariftiam minimè latrīa proſequendam, qua eam Apostoli, dum diſcumberent in Cœna, non ſunt proſecuti. Quarenda igitur alia cauſa non eſt, cur genuflexo, dum diſcumberent, Euchariftiam non adorarint Apostoli, niſi ea ipſa, ob quam eundem, tunc mensa ac cumbeſtentem, eodem honore nō aſſecerunt.

## P A R S T E R T I A.

Euchariftiam latrīa cultu venerandam eſte, ex Sanctorum Patrum doctriña conſimilatur.

## A S S E R T I O C C X X X.

**V**PEREST nunc, vt ex sanctorum Patrum monumentis eandem veritatē comprobemus. Ac primò quidem prodeat Augustinus, quem vnum ex omnibus totum ſuum eſte iactant Aduersarij. Is igitur ad Honoratum ſcribens, ſic ait: *Adducti Epistola 119.  
ſunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & ſanguine eius: ap. 27.*

**Q** 4 ſed



*Decorser. Dif.* sed adorant tantum, non etiam saturantur. Et alio in loco: Nos in  
 2. Can. Nas-  
 specie panis & vini, quas videntur res inuisibiles, id est, carnem &  
 autem.  
 In Psalm. 21. sanguinem honoramus. Et iterum: Manducauerunt corpus humili-  
 tatis Domini sui etiam diuites terrae: nec sicut pauperes saturati  
 Lib. 20. contra sunt, usque ad imitationem, sed tamen adorauerunt. Demum Pa-  
 Fanum ca. 13. ganis & Manichæis exprobantibus, quod Christiani adorarent  
 Unde cundens,  
 Epist. 1. 18 ad Ia-  
 uanum cap. 23.  
 In Psalm. 98. panem & vinum, & officia religionis circa illa exercerent: non  
 negat Eucharistiam adorari, sed distinguit, dicens, Non adorari  
 panem qui nascitur, sed qui certa consecratione nobis fit mysticus.  
 Exponens vero illud Prophetæ, Adorate scabellum pedum eius, subiicit: Nemo autem illam manducat, nisi prius adorauerit. Inuentum est, quemadmodum adoretar terra scabellum pedum eius, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Quam explicationem à Magistro suo Ambrofio hauserat, qui verba illa eiusdem Psalmi eadem ratione interpretatur, Adorate scabellum pedum eius. Sic enim scribit: Terra, inquit, non est adoranda nobis, quia creatura Dei est. Videamus tamen, utrum terram illam dicat adorandam Prophetæ, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit: Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, (ut supra diximus) adorarunt. Chrysostomus, Cogitemus, ait, quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Considera quæso; mensa Regalis est apposita, Angeli mena ministrantes; ipse Rex adest, & tu adstas oscitans; sorde sunt tibi vestimenta, & nihil est tibi cura. At pura sunt, igitur adora, & communica. Refert idem, (quod supra iam citauimus) senem quendam tali visione dignum fuisse, ut illo tempore, quo mysteria peragebantur, Angelorum multitudinem conspiceret, altare circumstantium, & capita inclinantium; ut si quis milites, praesente Rege, astantes videat. In alio verò loco, Qui sit, inquit, ut non exhorrescas? Non cogitas ipsum hic inuisibiliter adesse Dominum, qui in visu inusque rationem habet? Non cogitas, quod Angeli huic stupende assistunt mensæ, cumq; reverentia hanc circumuallant? Demum Ecclesia, inquit, Angelorum locus est, & Archangelorum; regia cali, celum ipsum

ipsum. Quemadmodum igitur, si calum quispiam in angustum re-  
 ductum iudicet, præ stupore non eloqui potest: sic nec hic aliud, quām  
 sancta sonare decet. Hic calum esse dubitas? Mensam istam vide:  
 cogita, quis hic sit progressurus, ante progressum certe horribilis. Nam  
 & thronum Regis modo videns non confurgit, quisquis egressum  
 Regis expectat? Tu igitur ante illud horrendum tempus animo tre-  
 misce, & animo commoueare, priusquam vela deducta vides. Et alio  
 in loco: Quid facis homo? Agnus Dei pro te immolatur: sacerdos Chrys. Homil.  
 pro te angut: ignis spiritualis ex sacra mensa refulget: Seraphini in Encanum.  
 astant: incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt: ignis  
 spiritualis de calo descendit: sanguis in craterem, in tuam purificatio-  
 nem, ex immolato latere haustus est: non confunderis? Nec multo  
 post: Num vides panem? Num vinum? Absit; ne sic cogites. Ut enim,  
 si cœra igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiae remanet: sic &  
 hic puta &c. Stemus ergo trementes, & sic Deo, calesti utique Regi,  
 quasi qui terreno assistunt, astemus. Confirmat etiam Chrysostomus  
 Eucharistia adorationem, multis alijs in locis; atque inter  
 alia sigillatim, sermone de S. Philogonio, Homil. 4. contra Anomæos, Homil. 24.  
 & 41. in priorem ad Corinthios, Homil. 8. in Matthæum, &  
 6. ad populum Antiochenum. Basilius etiam frequenter Eu-  
 charistiam adorat in sua Liturgia, iubetque adorari eandem, &  
 ab Apostolis eam traditionem profectam esse affirmat. Grego-  
 ri Nazianzenus de sorore sua sic scribit: Desperatis aliorum  
 omnium auxilijs, ad immortalem omnium medicum confugit. Ad  
 altare cum fide procumbit, eumq; qui super illud colitur, cum magno  
 clamore obstant, omnibusq; nominibus appellans, atque omnium re-  
 rum, quas unquam mirifice gesserat, commonefaciens, caput uberrimi-  
 mis cum lacrymis altari admonet. O rem mirandam, protinus libera-  
 tam se morbo sentit. Quid clarius dici potuit, quām super altare  
 coli Eucharistiam, eumq; ipsum, qui coli consuevit super al-  
 late, clamore & lacrymis, à procumbente sorore inuocatum,  
 miraculo piæ feminæ cultum approbat? Cyrillus Hierosol.  
 Catechumenos monens: Post communionem, inquit, corporis  
 Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus,  
 sed pro-

Lib. de Spiritu  
 sancto cap. 24.

Oratione in  
 laudibus fore-  
 rh Gorgon.

Catech. 5.  
 Missæ.

*sed pronus adorationis in modum, & veneracionis, dicens, Amen.*

*Origenes: Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vita pane & poculo frueris, & manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub teclum tuum ingreditur: Et tu ergo humilians te ipsum, imitare Centurionem, & dico: Domine non sum dignus, ut intres sub teclum meum.*

*Item: Nostis (ait) qui Diuinis mysteriis interesse consueistis, quomodo cum corpus Domini suscipitis: cum omni cautela & veneratione cauetis, ne ex eo parum quid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, &c. Eusebius Emissenus, Ideo, inquit, quia corpus assumptum ablatus erat ex oculis nostris, & syderebus illatus, necessarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel oblatum est in precium. Alexander Pontifex,*

*qui anno 70. à Christi morte vixit, In sacrificiis nihil maius est, inquit, quam corpus Christi; nulla oblatio maior, quae pura mente sumenda, & ab omnibus veneranda est; & sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet. Iacobus frater Domini, & Clemens Romanus, Petri discipulus, id multis & apertis etiam verbis faciendum esse confirmant. Arnobius, Hierony. Basilius, Theodoretus, & August. in illud Psalmi, Edent pauperes &c. ex eo loco probant, ab Apostolis Christum in Eucharistia adoratum. Deniq; Dionysius: O diuinum, ait, penitus, sanctumque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, lucis tua fulgore nos imple. Merito ergo in Concilio Viennensi acclamatum fuit: O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum. Atque his tot, tantisque testibus productis, satis iam arbitror augustissimi Eucharistiae Sacramenti adorationem confirmatam.*

FINIS.

